Vol. III. — Fasc. X. 31 decembris 1930.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

X.

MAIO 1929 - DECEMBRI 1930.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. Xti.

Quamquam duos « Memorabilium » fasciculos, brevi interiecto temporis spatio, nuper recepistis, cum illi tamen toti essent in singularibus, etsi magni momenti, eventibus enarrandis, mox tertium hunc eumque copiosiorem fasciculum ad vos mittendum curavimus, qui multa de Societate, ministeriis operibusque nostris, deque illustrioribus vita functis referret.

Complura quidem paulo antiquiora sunt, cum superioribus mensibus, ne dicam annis, tempus omnino defuerit, quominus saepius et fusius, ut optabamus, ea vobiscum communicaremus. At nunc, cum primum licuit, visum est nova et vetera simul complecti, ne volumen, cui nunc finem facimus, nimis mancum esset et imperfectum.

Sed quoniam Pater Noster in prima ad PP. Procuratores adhortatione amplum plenumque Societatis conspectum, multo melius quam in communibus his nuntiis fieri possit, depinxit (1), supersedendum duco hac vice a generali nostrarum rerum adumbratione initio fasciculi poni solita, eiusque loco, meae quondam promissionis (2) non immemor, novam nostram domum descri-

(1) V. supra, pp. 487-502.
(2) V. supra, pag. 114.

bere pergam; eo magis quod nunc tandem perfecta dici potest, siquidem Domus Exercitiorum, quae nostris aedibus vix non contigua est et cum his per xysticam porticum coniuncta, quaeque Congregationum tempore in usum et quasi supplementum Curiae adhibebitur, vix non demum expleta est.

Domus igitur exteriora iam tum contemplati, ad interiora perlustranda dum octagonum vestibulum ingredimur, statim e regione occurrit templum seu oratorium publicum, quod alias sollemniter benedictum et S. Francisco Borgiae dicatum esse rettuli (1). Oratorii ianua ad animi recollectionem invitat, sculpta in ligno exhibens sigla A et Ω, quod est « principium et finis » ut dicitur in Apocalypsi (c. I, 8), itemque Angelicum trisagium: « Sanctus, Sanctus, Sanctus ». Parvum quidem est hoc templum, sed non minimum: viginti et unum metra producitur a ianua ad absidem, et quattuordecim circiter metra latitudinis habet.

Stilo romanico-byzantino-moderno (sic periti) est aedificatum; medium autem spatium trifariam partiuntur duo columnarum ordines, utrinque saepientes locum parvis altaribus iuxta parietes dispositis reservatum. Alii duo minorum columnarum ordines inferioribus his superstructi innituntur et cancellis ac triforis perbelle coniuncti porticum quandam seu tribunam (ut aiunt) efficiunt, quae totam superiorem templi partem praeter absidem circumit, in eaque parva item altaria habentur.

Omnia itaque altaria undeviginti numerantur: a cornu evangelii altaris maioris, quod S. F. Borgiae est consecratum, exstant inferius altaria SS. Cordis Iesu, S. P. Ignatii, S. Roberti Bellarmino, S. Aloisii Gonzaga; superius vero S. Ioseph, S. Ioannis Francisci Regis, S. Ioannis Berchmans, S. Alphonsi Rodriguez, B. Edmundi Campion; a cornu epistolae, inferius quidem, altaria B. M. V., S. Francisci Xaverii, SS. Martyrum Iaponensium, S. Petri Claver; superius autem, S. Petri Canisii, S. Francisci de Hieronymo, S. Stanislai Kostka, B. Andreae Bobola, SS. Martyrum Canadensium. Singulis altaribus imminebit imago proprii Sancti titularis, aut picta, aut musiva arte expressa, aut vitro imposita (pleraque enim altaria fenestellis oblongis supposita sunt); interea imaginibus utcumque appositis provisum est. Alias quoque fenestellas oblongas, quae altaribus non imminent, ornabunt sa-

(1) V. supra, pag. 313.

crae imagines vitro expressae: in superiore quidem porticu imagines SS. Ioannis Baptistae et Ioannis Evangelistae, in templo autem ipso imagines SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Francisci Assisiensis et S. Teresiae ab Infante Iesu.

Etiam altare maius adhuc caret sua S. Francisci Borgiae imagine musiva, quae totum absidis catinum occupabit, quaeque a benefactore quodam hispano proxime missum iri speratur. Illius catini basim tenent cellulae parvae fornicibus et columellis ornatae, in quibus Nostrorum Sanctorum reliquiae perbelle exponentur.

Sed iam, SS. Sacramentum, quod hic perpetuo asservatur, venerati, e templo egrediamur. Antequam pedem limine efferamus, a dextris exeuntium (id est post altare S. Aloisii quod dixi) occurrit ampla sacristia inferior, cui in primo tabulato similis sacristia respondet pro altaribus partis superioris.

Sacristiae contiguum paratur pulchrum admodum sacellum ritus orientalis, affabre depictum et omnibus ad illum ritum necessariis apte instructum.

Secus ambulacrum quod sacristiam attingit, collocutoria extra clausuram adsunt, ea ratione omnino disposita, quae in Epitome (n. 457 § 5) praescribitur. Reliquae huius inferioris tabulati aulae ex utraque parte ianuae domus distributae et intra clausuram positae ad varias communitatis officinas adhibentur: adsunt enim ibi culinae, penus, balnea, rerum ad Provincias mittendarum receptacula, similia.

Scalae maiores in media fere domo elevantur prope templum quod descripsimus, sed intra clausuram. Aliae autem hac illac minores scalae habentur, e quibus unae praesertim notatu dignae sunt ex altera parte ianuae post collocutoria ad orientem sitae, ubi item incipit clausura: quae quidem scalae futurae Scriptorum communitati potissimum usui erunt; siquidem in hac aedium parte orientali in tabulatis inferioribus usque ad tertium inclusive, Scriptores degent cum omnibus ad separatam Societatis communitatem efformandam necessariis et opportunis. Ne tamen nimium defatigemur, ascendendi machinis uti possumus, ampliore nimirum an minore prout Curiae an Scriptorum domum invisere velimus; singulae enim habentur pro singulis communitatibus. Ut autem id semel dicam, in parte Scriptoribus reservata propria habentur culina et penus in tabulato inferiore, tri-

clinium in primo (quod, cum adhuc sit vacuum, siquidem Scriptores interim Curiae adnumerantur, superiore mense septembri aptatum est ad usum aulae pro Congregatione Procuratorum), sacellum domesticum S. Petro Canisio dicatum in secundo, bibliotheca in tertio: cubicula vero in secundo et tertio tabulato; quae quidem cubicula, cum multa sint, ad hospites quoque recipiendos inserviunt, ut factum est pro Congregatione Procuratorum et occasione Canonizationum.

Reliquas igitur aedium partes easque multo longiores occupat Societatis Curia, cui etiam integrum tabulatum quartum reservatum est. In primo tabulato, praeter minora conclavia pro Fratribus Coadiutoribus non amanuensibus (nam amanuenses apud PP. Assistentes propius habitant), habentur Archivum et Bibliotheca, modernis pluteis instructa, quae sexaginta milia voluminum eoque amplius commode continere potest. Ad alterum tabulatum ascendentes vestiarium et triclinium invenimus: triclinio autem contigua est aula recreationis FF. Coadiutorum, quae, si opus sit (v. gr. pro Congregatione Generali), pariete deiecto, triclinium ipsum producet et amplificabit. In eodem tabulato degunt cum suis adiutoribus et officiis PP. Procurator Generalis, Oeconomus Generalis et Postulator causarum NN. VV. ac BB., qui, cum pro suis muneribus frequentius cum externis agere debeant, aptiorem hic locum a domus ianua minus remotum habent. Ob eandem causam, in hoc secundo tabulato sedem obtinet Secretariatus pro Missionibus cum peculiari sua bibliotheca et aula ad libellos periodicos missionarios legendos: item Secretariatus Congregationum Marianarum cum eius Praeside aliisque ei addictis.

Centralem tertii tabulati partem occupat valetudinarium, omnibus quae ad hygienem et infirmorum solatium apta sunt optime instructum, atque ita dispositum ut, si opus sit, penitus claudi possit et a reliqua domo separatum manere. Parvum adest ibidem sacellum, unde infirmi vel in lecto iacentes Missam commode audire et Communionem etiam cotidie sumere possunt.

In eodem tertio tabulato habetur sat magnum sacellum domesticum, Beatissimae Virgini dicatum, cuius imago in ligno a Fr. Coad. Antonio Arribas (Prov. Arag.) non ita pridem depicta, illam refert antiquissimam in Basilica Sanctae Mariae Maioris asservatam, quam in prima potissimum Societatis aetate Sancti

Nostri tantopere venerabantur, quaeque S. Franciscus Borgia a S. Pio V ut exemplaribus exprimi posset obtinuit et ad varias probationis Domos misit. Altare affabre ex metallo aurato confectum illud idem est, quod ab Emo. Card. Iacobo Cattani olim R. P. Petro Beckx donatum et exinde in sacello domestico Praepositorum Generalium semper esse adhibitum alias memini (1). Sub altari sacri cineres coluntur Sancti cuiusdam adolescentis Martyris, proprio Iustini nomine nuncupati, olim in Catacumbis inventi, de quo tamen Martyre (a magno Iustino sane diverso) nihil aliud praeter nomen et martyrii signa rescitum est. Eiusdem munifici Cardinalis dona sunt lampades, reliquiaria, tabellae pictae in metallo aurato ad Viam Crucis (quae dicitur) sequendam, et multa alia sacelli ornamenta. E parietibus quaedam tabulae pendent praecipuos quosdam e Nostris Sanctis exprimentes: S. P. Ignatium, S. Franciscum Borgiam, S. Ioannem Franciscum Regis, S. Stanislaum Kostka, S. Alphonsum Rodriguez; e lateribus vero altaris super ianuas ad sacristiam utrinque ducentes imagines SS. Cordis et S. Ioseph coluntur.

SS. Sacramentum, quod hic ut in templo inferiore perpetuo asservatur, demisse venerati, quattuor fenestras attente inspiciatis velim: in his enim, ex munificentia quattuor Provinciarum Assistentiae Galliae, vitris mira colorum varietate compositis exprimuntur quattuor ex praecipuis Societatis ministeriis: Exercitia, Missiones, educatio iuventutis, cultus SS. Cordis Iesu. Et sane, en S. P. Ignatius, qui in Manresana specu, Deipara Virgine inspirante, Exercitia Spiritualia scribit; en S. Franciscus Xaverius, qui unum ex proceribus Iaponensibus baptizat; en S. Robertus Bellarmino scribendi labori intentus, qui caeleste lumen haurire videtur ex contemplatione dilecti sui olim alumni, S. Aloisii, sibi in nubibus apparentis; en B. Claudius de la Colombière SS. Cor Iesu adorans, eique adstantes quidam e praecipuis Nostris cultus SS. Cordis promotoribus: Ven. P. Aloisius Solari, P. Bernardus de Hoyos, R. P. Ioannes Roothaan, P. Ioannes Croiset, P. Henricus Ramière cum siglo Apostolatus Orationis, aliusque Pater innominatus cum symbolis Communionis Reparatricis et Cruciatae Eucharisticae. Quattuor haec vitrea perbelle confecta sunt Matriti in officina Parisiensium Fratrum Maumèjean, curante et ar-

---

(1) Cfr. supra, pag. 125.

tisticam compositionem Parisiis dirigente P. Paulo Léonard (Prov. Franc.).

Sacello domestico contigua est aula pro Directione generali Apostolatus Orationis cum parvo eiusdem consociationis Musaeo. Demum, in extremo hoc ipso tabulato, Basilicam Vaticanam versus, habetur aula recreationis Patrum, ubi etiam nostri libelli periodici et recentiores libri a Nostris editi in pluteis apte ad id confectis per aliquod tempus exponi solent.

Hinc, si parvas lubet ascendere scalas quin ad illas maiores revertamur, statim in quarto tabulato, quod integrum Curiae reservatur, occurrit modesta et tranquilla Patris Nostri diaeta, quae quidem nihil peculiare habet prae ceteris, nisi quod sit centrum, caput et cor totius Societatis: cubiculum Praepositi Generalis paulo quidem latius est quam alia, sed unicum et simplex; ei contigua adest parva et modestissima aula consultationibus habendis, in qua etiam excipiuntur externi viri illustres, qui Patrem Nostrum invisuri adveniunt. In reliquo hoc quarto tabulato degunt PP. Assistentes, Secretarius Societatis eiusque adiutores et Substituti, Revisores generales, Fratres Coadiutores amanuenses.

Fere e regione aulae consultationum parvum adest sacellum, quod sacello domestico in tertio tabulato exstanti ita imminet, ut e vitreis fenestellis altare cerni et SS. Sacramentum adorari possit. Et sic in nova hac domo, quando Scriptorum quoque communitas constituetur, hoc inter alia insigne habebimus commodum, ut in quovis tabulato SS. Sacramentum facile invisi et coli queat: nam, praeter tertium et quartum tabulatum de quibus nunc ipsum loquor, in inferiore adest templum S. Francisci Borgiae, quod descripsi; in primo habetur eiusdem templi tribuna seu porticus superior aditu facillima, e qua totum templum optime conspicitur; in secundo autem patebit sacellum S. Petri Canisii, quod domesticis pietatis exercitiis communitatis Scriptorum inserviet ideoque SS. Sacramentum ibi quoque asservabitur.

Sed iam ad amplissimum solarium ascendamus, quod totam tenet aedium longitudinem. Hinc totam Urbem videre est: a Basilica Vaticana eiusque foro et Porticu et Palatio, quae omnia sub oculis habemus et manu fere tangere nobis videmur, usque ad Lateranensem Basilicam, cuius pinnacula post Capitolinum collem eminere cernuntur; a Mole Hadriana seu Castro S. Angeli,

usque ad Basilicam S. Mariae Maioris; a colle Aventino usque ad Montem Marium, post quem en procul stat (quamquam non semper « alta nive candidum ») Soracte (1). Hinc revera, ut Martialis versibus utar (nam Ianiculo colli, de quo poeta cantabat, etiam nos innitimur): « Hinc septem dominos videre montes — Et totam licet aestimare Romam » (2).

E solario per pontem ad superiores horti xystos acceditur, indeque ad monumentum SS. Cordis ascendere licet; quas quidem horti nostri partes cum e photographica imagine octavo fasciculo (10 oct. 1930) inserta satis contemplati sitis, non est cur diutius immorer in iis describendis (3). Inde etiam proximam Exercitiorum Domum, quam nostrae fere contiguam esse initio dixi, adire licet, quae partim ex antiqua Villa Barberinia, partim ex novis molitionibus constat, atque ita est distributa, ut eodem tempore haberi possint separata Exercitia pro sacerdotibus et pro laicis, quin altera exercitantium classis alteram impediat aut perturbet.

Media inter Curiam et Exercitiorum Domum et cum utraque coniuncta magna exstat aula octagona Congregationibus Procuratorum atque etiam Generalibus habendis destinata, quae ordinariis temporibus ad alios usus facile aptari poterit. Extremum aulae parietem, qui absidis instar retrahitur, ubi Congregationum tempore Praeses eiusque assistentes sedem habebunt, magna arbor depicta exornat, Societatis stemma ferens simulque Societatis symbolum ipsa exstans, cuius septem rami totidem Assistentias exprimunt et nomina omnium Provinciarum nunc exsistentium vittis inscripta referunt (4).

Succrescentibus autem Societatis Provinciis nova nomina haud erit difficile iisdem ramis simili ratione inscribere. In caelo

(1) Cfr. Horat., *Od.* lib. I, 9, 1.

(2) Martial., *Epigr.* lib. 4 n. 64.

(3) In uno e xystis superioribus horti habetur parva aedicula in collis rupe excavata et vitro occlusa, in qua statua S. Antonii Patavini colitur: voluit enim Pater Noster ut quam aediculam inveneramus paene dirutam, ea refecta eidem Sancto dicata esse pergeret, veteri statuae nova et pulchriore suffecta.

(4) Provinciae veri nominis sunt 38, Vice-provinciae indipendentes 4. — Ex catalogis huc usque ad nos perlatis (desunt autem adhuc 4), Societas ineunte anno 1931 numerat 22.295 sodales, quod est augmentum 617, maximum nimirum huc usque habitum.

autem micantia conspiciuntur aurea sidera, e quibus maiora Societatis Sanctos, minora Beatos designant (1).

Sed ne vos diutius distineam, Reverendi Patres Fratresque carissimi, dum vos peramanter valere iubeo, eo vehementius me omnium vestrum sanctis Sacrificiis et precibus commendo, quod non iam meum erit vos identidem alloqui, ut per aliquot annos (unum dolens me non tam saepe quam optaram id potuisse) perlibenter praestiti. Nam, augescentibus in dies Curiae nostrae laboribus, voluit Pater Noster « Memorabilium » curam a Subsecretarii munere seiungere, eamque P. Ignatio Errandonea (Prov. Castell.) demandavit.

Romae, die 31 decembris 1930.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
HILARIUS AZZOLINI
Subsecr. Soc. Iesu.

---


(5) Sancti Nostri numerantur 23, Beati 138.



Curia Societatis Iesu.



S. P. Ignatius scribit Constitutiones.



SS. Cor Iesu et Eius Cultores S. I.

Vitreae fenestrae in sacello domest. Curiae.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I. — NUNTII VARII

DE COLLEGIIS, STUDIIS, APPLICATIONIBUS, ALIIS.

Collegia, Studia.

Institutum Massimo in Urbe, insigni sollemnitate, recensione digna, quinquagesimum a fundatione annum, et eximio apparatu non ita pridem celebravit.

Hoc externorum Collegium, in monte Esquilino, in vineis olim Xysti V., P. M., prope stationem viae ferreae situm, maximo numero alumnorum in Prov. Romana gaudet et his quinquaginta annis alumnorum *novem millia* eduxit.

Fundatorem et primum parentem habuit P. Maximilianum ex principibus « Massimo », stirpe ex Fabio Maximo Cunctatore (ut fama fert) derivata. Igitur festum decorabant tres Eminentissimi Patres purpurati Vannutelli, Capotosti, Ehrle; P. N. Wlodimirus Ledóchowski; varii principes ac nobiles Romani (Colonna, Barberini, Antici-Mattei, Serlupi, Cagiano de Azevedo etc.); celsi exercitus duces (Della Valle, Mariani, Ambrosio), aliique insignis notae viri.

Post sermonem Prof. Francisci Valacusa, lapis marmoreus detectus et in memoriam dedicatus: secutus est sermo R. P. Rectoris Ernesti Rinaldi, quem excepit iuvenilis oratio alumni F. Sartori; verum praeconium quinquaginta annorum contexuit clarissimus exalumnus Adv. Dominicus D'Amico: Generatim solida et christiana Collegii educatio laudata est et patriae cum Ecclesia reconciliatae gratulationes factae. Nuntii per telegraphum missi sunt ad Maiestatem Regiam Victorii Emmanuelis III, ad Excellentissimum virum Benedictum Mussolini, in primisque ad gloriosissimum Pontificem Pium XI, et ad Ministrum ab instructione publica. Summus Pontifex respondit — hoc praestat referre —

benedicens et gratulans « ob fructus solidos aeque ac exquisitos quos christiana Instituti educatio protulit; similes pro futuro apprecans ».

Felicibus auspiciis Collegium nostrum *Stella Matutina, Feldkirch* (Prov. Germ. Super.) suum septuagesimum quintum a fundatione annum iniit, nam paulo ante ingressum alumnorum ad novum cursum, e Ministerio Status decretum accepit, quo id quod per tam multos annos desideraverat, tam efficaciter procuraverat et tam bene meruerat gloriosis rebus gestis et insignibus multis in patria et religione viris formatis, obtinuit ad magnum sine dubio Collegii eiusque fructuum incrementum: Collegium Stella Matutina Feldkirchense omnibus iuribus ornatur quibus gaudent Gymnasia intra fines Germaniae collocata et publice a Gubernii auctoritate admissa. Specimina posthac praeside officiali publico habebuntur, et ad normas publici Comitatus de hac re componentur; ceterum sui iuris erit Collegium.

Nuper in folio Nuntiorum Provinciae, hoc prodiit caritate plenum et locorum temporumque adiunctis debitum monitum: « *Stella Matutina.* Retractatio. Ad mensem maium nuntiata erant festa iubilaria Collegii nostri; sed rationes erumpebant in dies fortiores quae illis obstarent: his nostris temporibus, cum tam magna penuria invadat plurimas gentes, cum politica destructio ubique grassetur et timendum sit ne etiamnum maior irruat, decebat ut nos magnificis sollemnitatibus traderemur? quomodo eiusmodi festa intellegere possent gentes, tam eae quae nobis sunt amicae quam quae adversae? — Post maturiorem deliberationem decrevit Collegium ab omni exteriore pompa in 75° anniversario prorsus supersedere; communicabitur hoc consilium cum omnibus antiquis alumnis proximo numero *aus der Stella Matutina.*

« Pro festis Collegium contendet ut pauperibus urbis aliqua magna eleemosyna distribuatur, et hortabitur antiquos omnes feldkirchenses qui id praestare possint, ut collata pecunia exalumnos qui in necessitate versantur adiuvare velint.

« Edetur tamen liber iubilaris et duo volumina investigationum scientificarum ob septuagesimum quintum anniversarium ».

Nostris in *Hispania et America Hisp.* Iunioratus et Philosophatus studiis, Universitas Monachiensis in Germania ius ingressus cum magna matricula concessit, postquam programmata, tex-

tus, specimina, opera scripta consideravit Iunioratus Domus S. Parentis Loyolaeae (Prov. Castell.) et Philosophatus Collegii Maximi Sarrianensis (Prov. Arag.).

Die 18 sept. 1929, adstante serenissimo Infante Domino Iacobo de Borbón, Regis Hispaniae filio, proceribus aliis pluribus et frequentissimo populo, habita est benedictio et sollemnis inauguratio *Scholarum Gegionensium* (Gijón, Prov. Legion.), quae ab Excellentissima Comitissa de Revillagigedo fundatae et nostrae Societati donatae, 500 alumnos per 5 cursus distributos ad officia mechanica et electrica, propria opificum, informabunt. Aderant ex technicis PP. Pérez del Pulgar et Benedictus Lozano S. I. cum alio Professore Instituti Catholici Matritensis S. I. et variis operariis eiusdem Instituti.

Post duas orationes quibus breviter declarata sunt huius Fundationis historia, finis, programma, subsecuta est aedificii benedictio, statimque, praeeuntibus Patribus, Serenissimus Infans totum aedificium lustravit, praesertim locum diversis machinis destinatum. Has singulas singuli operarii gubernabant ex Instituto Catholico Matritensi hunc in finem vocati. Multi petunt iam locum, examina severa ad seligendos alumnos sunt stabilita, primi cursus prospere delabi coeperunt; multae et magnae spes in hoc Instituto sunt collocatae, in ea regione quae operariis abundat plurimis, qui quidem sic magis in nos et in Ecclesiam eiusque doctrinam adducentur.

Quae quidem res sane est necessaria: illic enim nuper tristissimum illud factum accidit, quod turba, praesertim adulescentium imberbium, contra Dictatoris emortui memoriam concitata, et occasione arrepta ex lapide qui ei callem dedicabat in nostra Ecclesia affixus, hoc templum impie invasit, et diabolicis furoribus agitata, cancellos, organum, confessionalia, pavimentum, tribunas, quinque Sanctorum statuas igne combusit et multam aliam stragem fecit in illo pulcherrimo templo ubi tantam operam posuerat P. Caesareus Ibero, dum Residentiae Superior erat. Feliciter a flammis liberatum est altare maius, et perstat etiam feliciter magna SS. Cordis Iesu statua, quae de tecto dominatur toti urbi, et omnibus Nostrorum operibus benedicet.

Hoc anno 1930 Societas iterum curam *Seminarii Jassyensis* (Miss. Rumaeniae - Prov. Polon. Min.) suscepit quod, anno 1886 hortante Leone XIII fundatum, anno 1906 relinquere debuerat,

adiunctis ita cogentibus, sacerdotum saecularium manibus. Factus est Rector P. Felix Wiercinski, ille ipse qui olim tam generose adlaborarat, cum eodem munere fungens (1894-1897), — impeditis auxiliis Illmi. Episcopi Dominici Jaquet O. F. Conv. et ablatis a nobis praecipuis Missionis Moldaviae stationibus — emendicare opem coactus est et per consulem Austro-hungaricum D. Wodianer de Maglod, tum ipsum Imperatorem Franciscum Iosephum, tum Gubernium Austriacum et Hungaricum, necnon et Episcopos Hungaricos adiit et ab omnibus eleemosynas non parvas obtinuit; sed maius fuit auxilium quod anno 1896 obtentum est. Versabatur P. Rector cum Philosophis et Theologis in oppido catholico Butea, et Principem Georgium Sturdza, fratrem Ministri Praesidis Demetrii Sturdza, ad academiam alumnorum invitavit. Princeps, audita disputatione theologica et carminibus rumaenicis et latinis, ex Rectore quaesivit undenam pecuniam ad sustentationem seminarii haberent. Haud parum miratus est cum audivit omnia esse emendicanda, et promisit tum fratrem suum tum Regem Carolum adire, ut Gubernium Seminario nostro subsidium ferret. Quod vero verbis promiserat, opere complevit, et assignata fuit annua pensio magistris pro numero alumnorum.

Sed postquam relictum a nobis est, elanguit multum et cursum Philosophiae et Theologiae omisit, in quibus antea etiam examina valida *ad gradum* nonnumquam habuit; sex soli sacerdotes ex eo tempore facti sunt, Philosophi deinde Bucarestium ad Nostros missi sunt, Theologi aut Romam, aut Genuam, aut Treviros, aut alio.

Aedificium est illud quod RR. DD. Dominicus Jaquet ad Collegium suum olim exstruxerat; multa passum est, nec umquam refectum, dum tempore belli militibus aegrotis, postea convictui academico fuit applicatum; nullum habet publicum subsidium. Alumni omnes adhuc solis lycealibus disciplinis student; erant 33, quibus additi hoc anno sunt alii 41: rumaeni, germani, hungari, poloni. Praeter P. Rectorem, docent Jassyis, P. Alexander Horváth et P. Alexander Pop, ritus rumaeni; sunt etiam tres professores externi.

Etiam Missio Patna (Prov. Chicag.) habuit faustum diem mense maio 1930, cum tandem aliquando id quod iam a primo Missionis susceptae die faciendum omni modo decreverant Patres, perfectum sunt contemplati. Occultae cuiusdam benefactricis

ope adiutus, P. Aloisius S. Pettit, qui ante tres annos primas scholas inibat in tugurio, dum interiorem Collegii naturam constituebat novis scholis, novae domus exstructionem vel in minimis dirigebat, cuncta exsequente Fratre Coadi. I. M. Stanislaus; posthac iam *Turiae Molae,* in suburbiis oppidi Molae, quamquam multa desunt ad scholam Apostolicam, ad Nostrorum separatam habitationem et ad alia, est tamen iam locus ad 600 alumnos, sunt 17 aulae, iura omnia habentur verae et publicae Altae Scholae.

Multa quoque dicere potuit et dixit de innumeris difficultatibus iam ab anno 1913 subeundis P. A. Pinto, Rector *Collegii Bahiensis* in Brasilia (Prov. Lus.), cum primus lapis iactus est novi Collegii eximio praedicatori Patri Vieyra dedicati, quod festum celebratum est magno virorum in litteris, magistratura, commercio insignium concursu, die S. Parenti Nostro sacro, an. 1930.

Quamquam nondum cursus totus studiorum absolutus est, contenti scribunt Superiores novae *Scholae Apostolicae in urbe Montréal,* ubi anno 1927 aperta est valde humilibus principiis. Nunc iam verum Collegium, etsi parvum, S. Ignatii nomine fecerunt, in quo 150 alumni Apostolici educantur, 56 hoc ipso postremo septembri mense primum admissi. Externi sunt, domi suae vivunt, ne ad Missam quidem in nostram ecclesiam venire coguntur, quamquam in suis quisque paroeciis omnes id faciunt, et sacram Communionem in eis frequentant. Initio quidem maximam partem ex nostris cantoribus et Missarum ministris educebantur, nunc autem iam Collegia, et nostrum (de Brébeuf) et Sulpicianorum (Montréal) suos discipulos, in quibus vocationem sacerdotalem oriri vident, mittere in hanc Domum coeperunt ad illam securius fovendam. Ceterum studiorum cursus non valde diversus est a cursu reliquorum collegiorum, sed Rationi Studiorum nostrae accommodatus, qualis, ut est notum, admittitur in Universitate Montréal ad gradus academicos, quos, speramus, hi etiam iuvenes obtinebunt. Non obligantur ab initio nostrae Societati se addicere sed nec invitantur alii religiosi ad eos in sua Instituta alliciendos. Magnus est amor in Collegium et in nostras res; multum adhibetur ad pietatem fovendam Congregatio Mariana et Thesaurus SS. Cordis Iesu, simul cum quodam spiritu privatae et non impositae pietatis.

Collegium illud Catvicense (Prov. Neerl.) quod tam difficilibus temporibus instituerat insignis non minus genere quam virtutibus vir, qui futurus erat Episcopus Curiensis, Illmus D. C. P. baro de Wykerslooth anno 1831, et in quod primum unus alterve e Nostris, ut magistri, deinde anno 1842 Societas ad totam eius gubernationem evocata est, ita creverat novis semper additis appendicibus et adminiculis, ut non unum aedificium sed quasi quidam vicus videretur. Novae aedes, iuxta Collegium S. Aloisii Hagae Comitis aedificandae fuerunt, quarum lapis primarius iam anno 1911 constitutus est, sed bellum europaeum omnia consilia perturbavit, quae saepius dilata, omissa, iterum suscepta, aliquando tamen opere perfecta sunt.

Antequam de loco plerisque gratissimo et carissimo decederetur, multis quondam alumnis petentibus, statutum est, ut quotquot ex iis, qui Catvici aut didicissent aut docuissent, vellent possentque, die 22 Iul. 1928 eo convenirent, ut loca grata non iterum videnda reviserent, cum amicis et commilitonibus annos diu elapsos recordarentur, magistris debitas diu gratias agerent.

Neque irrita fuit invitatio. Convenerunt die statuto Catvicum 300 amplius viri senesque, qui olim pueri iuvenesque litteris ac pietate ibi erant exculti. Accesserunt e Nostris fere 70, quondam in eodem Collegio magistri praefectique. Erat insignis inter omnes vir ornatissimus L. v. Ogtrop, Amstelodamensis, qui nonagenarius cum quatuor filiis, duobus nepotibus advenerat, ut caro Collegio ultimum vale diceret. Gratiis Deo pro beneficiis per integrum fere saeculum in Collegium Catvicense collatis Sollemni Sacro persolutis, in aula maiore omnes consedere, ubi postquam Collegii magistris et toti Societati gratiae actae sunt, donum 6000 florenorum ad novae domus sacellum digne ornandum oblatum est. Tandem R. P. Provincialis de translationis causis paucis disseruit, gratiasque tam pro munere quam pro singulari benevolentia et favore, quo semper Catholici Neerlandici Collegium Catvicense essent prosecuti, libentissime egit.

Sacratum est Christo Regi, et retinebit antiquum nomen « Huize Katwijk », ut continuet memoriam gloriosam quam suis fastis scripsit.

Inter Collegii Rectores, prae aliis nominandi videntur, R. P. W. Steins-Bisschop, qui ut Illmum. Domnum. Alexium Canos S. I. in Indiam sequeretur, Rectoris munus libens volensque abdicavit;

haud multo post Vicarius Apostolicus primum Bombayensis, tum Calcuttensis est factus, tandem, prope septuagenarius, dioecesim Auckland Novae Zelandiae regendam suscepit; R. P. A. Henriet, qui cum apud alumnos tum apud eorum parentes auctoritate et gratia multum valuit et novum sacellum condidit; R. P. Cl. Wilde, Catvici quondam alumnus, deinde bis Rector, qui in Collegii iuribus vindicandis et litterarum studiis promovendis plurimum elaboravit; R. P. R. van Oppenraaij, Assistentiae Germaniae hodiernus Assistens.

Societati Nostrae dedit Collegium fere 130 candidatos, inter eos duos PP. Provinciales, duos Professores Universitatis Catholicae. Ex externis, omnes fere laici Catholici, qui per hosce 70 amplius annos de Religione et Patria bene sunt meriti, huius Collegii alumni fuerunt. Quo e numero, ne longus fiam, tres Administros, quos vocant, regios afferre lubet: viros clarissimos I. Kolkman, G. Bevers, A. Nelissen, qui in Collegio Catvicensi eiusdem anni commilitones et aemuli, semper amici, tandem, anno 1908, in consilio regio collegae fuerunt.

Munera, Decorationes.

Universitas Wilnensis in Polonia, cum hoc anno celebraret tercentesimum quinquagesimum a fundatione annum, voluit initia olim sua commemorare singulari ratione; nam cum a nostra Societate fuisset fundata ab eaque recta usque ad exstinctionis tempora, Universitas, quae diu non nimis catholicis sensibus faveret, sponte diplomate misso, Gradum Doctoris in Theologia « honoris causa » PATRI NOSTRO conferebat.

Hoc anno S. Pontifex, mense februario, *S. Rituum Congregationi sectionem historicam* adiecit, in quam quinque e Nostris hagiographis sunt cooptati: PP. Hippolytus Delehaye et Paulus Peeters e Prov. Belg., P. Carolus Newdigate ex Prov. Angl., P. Carolus Silva-Tarouca (Prov. Cechosl.), P. Petrus Tacchi-Venturi (Prov. Rom.).

P. Albertus Vaccari (Prov. Taurin.) iam ab anno 1928 Consultor Commissionis Biblicae est.

E Nostris Consultor factus est Commissionis ad Codicem Orientalem conficiendum *P. Felix M. Cappello* (Prov. Rom.).

Patri Henrico Lammens (Prov. Lugd.) a multis annis in Uni-

versitati Berytensi professori et scriptori, germani Orientalistae Vindobonae in congressum coacti hoc telegrama miserunt: «Reverende Pater! Te in hoc Orientalistarum germanorum congressu intima cum veneratione recordamur. Proximo semestri ad seminarii exercitia ego tua de Mohamed scripta sum adhibiturus; ubique sentimus hic tuam in spiritu praesentiam» (signant C. H. Becker et alii quattuor).

Idem Pater ob egregia in rebus Orientis studia nomismate primae classis Meriti Libanensis manibus ipsius Praesidis Reipublicae donatus est.

Eodem nomismate est decoratus *P. Sebastianus Ronzevalle*, eiusdem Prov.; laboravit inter alia in detegendo monumento quodam aramaeis litteris scripto, quod magni momenti habetur ad saeculum VIII ante Ch. in Syria australi illustrandum,, et occasio fuit ut novae explorationes inirentur eodem Patre duce.

Ab ipso Rege de Consilio administrativo Societatis Regalis Geographicae in Aegypto factus est *P. Paulus Bovier-Lapierre* (prov. Lugd.), qui etiam socius designatus est Societatis Aegyptologiae Bruxellensis; nunc commendata ei est scriptio primi capitis (praehistoria) Historiae cuiusdam Aegypti, quae sumptibus regiis edetur a peritissimis quibusque viris.

Inter Magisterii in Societate eximia merita et inter grati animi significationes, ne praetereamus illud vere aureum iubilaeum, quod die 4 octobris 1929 celebratum est in urbe Habana insulae Cubae, magno concursu antiquorum alumnorum, qui cum filiis et nepotibus laetissimi adfuerunt et *P. Franciscum Obered* (Prov. Leg.) obsequiis cumulabant. Revera, quamquam exstant in Societatis annalibus nomina omni sane veneratione digna, qualia PP. Ioannis Heidelberg, Petri de Salas, Ioannis de Luth, Ioannis de Bonifacio, I. Angeli Ferrigno, vix fortasse umquam omnibus his adiunctis iubilaeum eiusmodi acciderat: anno 1877 sacerdos factus, cum biennio post navigasset Cubam, infimae puerorum scholae curam suscepit, in eaque regenda, in ea ipsa Domo, sine ulla interruptione quinquaginta annos hucusque immotus perseveravit; nec adhuc signa ulla defatigationis aut mutatae voluntatis edidit. Ad multos annos!

P. Michael Selga (Prov. Arag.) speculae Manilensis praeses, nomismate cum diplomate matheseos et scientiarum ab Universitate germanica Hamburgensi ornatus est ob sollicitam curam qua

praedixit et paravit quidquid ad bene defectum solis, qui ibi fuit anno 1929, advertendum pertineret, et quidquid ad spectatores venientes bene accipiendos faceret.

P. Gerardus Lamers (Prov. Neerl.), Rector nostri Philosophatus Neomagensis, designatus est a Gubernio unus e duobus praesidibus omnium Comitatuum, ex Professoribus Universitariis constantium, qui de rebus paedagogicis ex officio examinant in Hollandia.

Patrem *Felicem Restrepo*, Socium R. P. Provincialis (Prov. Columb.), designavit nuper Excmus. Archiepiscopus Bogotensis, membrum Comitatus ad examinandam et unificandam rationem studiorum in seminariis nationalibus clericorum; ipse Pater qui ob studia paedagogica in Germania facta, magni habetur ab omnibus in his rebus et magnam partem habuit in officiali studiorum publicorum constitutione facienda, saltem ad multa vitanda mala peiora, nunc renuntiatus est academicus Nationalis Academiae Linguae, ut sedem occupet insignis illius litterati D. Raphaelis Carrasquilla. *Pater vero Provincialis* eiusdem Provinciae opusculum seu Epistulam edidit ad patres familias, quibus et urget eorum obligationem et media suggerit ut possint secundare laboribus Nostrorum in eorum filiis educandis, ne putent satis se suo muneri fecisse si filios tradant in nostras curas, neglecta omni vigilantia et cooperatione. Multum diffusa est et aperuit multorum oculos ut suis filiis et cognatis provideant.

Etiam *R. P. Provincialis Argentino Chilensis* epistulam apertam Supremo Praesidi misit, ubi a Nostris repellit turpem calumniam, quae sparsa per urbem fuerat, quod scilicet Nostri armis favissent iis qui contra gubernium commovebantur turbis, et querebatur quod tanto strepitu et sine cautelis ullis indagationem et perscrutationem Domus nostrae fecissent auctoritate publica. Iussu ipsius provisorii Praesidis respondit eius Secretarius: alte semper se sensisse de nostris religiosis finibus et alte etiamnum sentire; nihil de eiusmodi calumniis se curasse, domus perscrutationem eodem modo ubique factam esse.

P. Iosephus A. Pérez del Pulgar (Prov. Tolet.), in « Instituto Matritensi Artium et Industriarum » studiorum Praefectus, atque a XX annis Professor, aureo ob meritum laboris numismate a publica potestate donatus est. Eiusmodi decora novem tantum hucusque concessa sunt: pro eo autem postularunt plusquam 6 millia

opificum, ex quibus 5.600 eius iam discipuli. Hoc gratum accidit etiam Patri N. qui id P. decorato significandum curavit. Actio celebrata est ab alumnis (900 hi sunt) et exalumnis, coram Ministro a laboribus publicis, civili Gubernatore, urbis Praeside aliisque clarissimis viris, die 5 decembris 1929. Hoc « Institutum Catholicum Artium et Industriarum » (I.C.A.I.) machinatores (« ingenieros ») simul cum opificibus miro studio et amicissimo consortio coniungit.

P. Augustus Savio (Prov. Franc.) qui praefectus Studiorum nostri Collegii S. Petri Canisii est in Shang-hai, designatus est Professor Entomologiae in Universitate Publica Sinensi, de Agricultura, in oppido Woosung sita.

P. Petrus Teilhard de Chardin (Prov. Lugd.), superiore anno ut geologus consiliarius sinensis Gubernii percurrerat totum Shanski, et nunc ad Gobi in Mongolia ut geologus Expeditionis Americanae fecit iter, et in Galliam est reversus; multos collegit ad scientiam thesauros, quos in ditissimo P. Licent Musaeo partim condidit (in Tientsin, Sinis); singularis refertur inventio cranei cuiusdam, Sinanthropi, non longe a Peking in Chou Kou Tien quod gravitate ad scientias maius est illo pithecanthropo, quod ex Iawa nomen et originem duxit.

In Aethiopia, ubi paulo ante fuerat, repperit cavernam paleolithicis multis depositis et picturis nonnullis, rem sane illis in locis novam, et ammonitarum acervum, ad eius regionis naturam figendam utilissimum. A Gubernio belga factus est eques Ordinis Leopoldi, postquam regii musaei mammiferos lapideos composuit et ordinavit detexitque genus quoddam, ceterum penitus ignotum. Nuper huic Patri Praemium Internationale donatum est, ob studia anthropologica.

Fr. Petrus McGowan (Prov. Maryl.-N.E.) praemium Gaisford in graeca soluta oratione obtinuit in Universitate Oxoniensi, translato in linguam et stilum Platonis capite cuiusdam operis Tolstoi. In eodem Athenaeo *Fr. Cyrillus Lambe,* (Prov. Angl.) qui studiorum cursum mathematicum et physicum summa cum laude absolverat, praemium etiam accepit quod Isaac Newton Research Scholarschip appellatur, et nunc Edimburgi studiis vacat mathematicis sub Praeside Societatis Mathematicae Angliae, D. Thompson, qui nuper in Ecclesiam Catholicam est receptus et ad id docendum

nostris se sponte obtulit. In eadem Universitate Oxoniensi, in subfacultate Philosophiae, docent duo e Nostris: *P. I. Leslie Walker* de Medii Aevi Philosophia ab Erigena ad Occam, et *P. Martinus D'Arcy* de Aristotelis Ethica, quae est una ex materiebus quas omnes qui gradum magnum (Greats) in Philosophia cupiant, debent addiscere.

In urbis Monachii Germanico Musaeo bustum *P. Athanasii Kircher* († 1680) collocatum est, qui honos solum 30 germanis scientificis est adhuc concessus; magna enim erat de scientia non minus quam de Ecclesia meritus, ob immensam illam pro eo tempore eruditionem in hieroglyphicis aegyptiis, in linguis orientalibus et occidentalibus, in physices diversis materiebus et propriis inventis.

Oppidum « Grafton » (Illinois in S. U. Amer.) totius regionis grati animi causa monumentum erexit *P. Iacobo Marquette.* Crux est lapidea, colorata, sublimi loco, 7 pedes cum dimidio alta; ibi enim insignis ille Missionarius et Apostolus cum rediret ex « Arkansas », terram « Illinois » primum tetigit.

Explorationes

« Studiorum gromaticorum Societas » in Statibus Americae Foederatis publica auctoritate erecta et aucta, praerupto cuidam vertici ex montibus Alaskanis nomen « Hubbard » fecit ex *P. Bernardo Hubbard,* qui mense iulio a. 1929, tribus comitatus strenuis discipulis, ibi pedem fixit, quo nullus neque indigena neque advena unquam progredi ausus fuerat.

Hac aestate binos Vulcanos glaciares exploravit, Anaikchak et Veniaminof, quattuor sociis ex Collegio S. Clarae comitatus; post plurium dierum cursum perdifficilem, magnam sarcinam ferentes pervenere tandem per rimam quamdam in ipsum cavum craterem vulcani Anaikchak: 20.000 pedum in circuitu habet; in medio mons erumpit Vesubio aequalis, fumans pluribus in locis; huius latere lacus est 2000 pedes longus, plenus piscium, maxime salmonum; ursorum vestigia eos exploratores in caveas duxerunt, quas haec animalia sibi paraverant ad balneas turcas vapore calido sumendas. Multo fuit difficilior accessus ad vulcanum glaciarem Veniaminof; conscenderunt tandem 8400 illos pedes ut

inde maximum omnium eius naturae montium contemplarentur; in medio glaciari conus erigitur fumum et cineres eructans.

Magna cum diligentia Summus Pontifex quaeritavit P. Ioannem I. O' Rourke (Prov. Maryl. N. E.), Rectorem tunc Instituti Biblici, de his omnibus quae Nostri PP. Hierosolymis degentes, in *exploranda Palaestina* detexissent; immo etiam postquam ea cognovit, animos addidit, et pecuniam donavit, quam cum Pater recusaret accipere quia tam multos sumptus haberet Sua Sanctitas et quia speraret ex Dei Providentia se habituros quae deessent, instituit S. Pontifex aitque se etiam velle in tam magni momenti exploratione partem habere; addidit tamen subridens se aegre non laturum si qui alii Summum Pontificem hac in re superarent.

Nam cum anno 1928 P. Alexius Mallon (Prov. Lugd.), linguae aegyptiacae Professor in Domo Instituti Biblici Hierosolymitana, signa aliqua detexisset alicuius antiquae urbis humo occultae, in Iordanis orientali ripa, locis Rameh (Beth Haram) et Kefrein (Abel Sittim), bis iam in eis locis pervestigandis laborarunt, decembri an. 1929 et martio-aprili 1930, adiuti a PP. Instituti Biblici, praesertim P. O' Rourke et Fratre Vives, pecuniis a quadam americana familia suppeditatis; nunc tertio eandem explorationem facere pergunt.

Secundavit conatus Deus: urbs certo apparuit, antiquissima, quam supellex, structura, fictilia opera, ornatus, res nonnullae omnino novae annos iam 4,000 a nobis distare proclamant, eaque non multum humo immersa, cum maxime 3 vel 4 metris; quamquam nondum centesima pars explorationis est facta.

Illud vero maximi momenti, quod mole cinerum totus locus videtur stratus; qui etsi cuius naturae sint, non est facile cernere, certe non habet lapillos quos pompeianae ruinae habent, ut magnopere attentionem excitent sapientium et in his studiis peritorum.

Adulescentes oratores et apostoli.

Associatio ea Laicorum cui munus est acatholicis catholicam fidem exponere veramque Ecclesiam Christi (*The Catholic Evidence Guild*), novum sane ausa est hoc anno tempore vacationum experimentum facere. Fons et origo huius societatis, nunc per

totam Angliam sparsae, *Collegium Stonyhurst* erat (Prov. Angl.), et primas partes adhuc facile obtinet nec usquam maiore studio promovetur.

Itaque cum a quibusdam catholicis, Londini degentibus, invitatio ad P. Rectorem pervenisset ut concederetur alumnis Collegii — simul cum alumnis Collegii nostri Beaumontani — incursionem per duos dies duraturam in Urbem facere, libentissime data est licentia. Proinde duo Sacerdotes, septem emeriti et novem alumni e collegio proficiscuntur et sese per totam Urbem explicant, omnes constitutos sibi situs occupant — approbantibus associationis localis praefectis — et orationes apud populum plurimas habent. Undique pronuntiatur eventus mirus, fructuosus, iterandus. Nuntiis tam iucundis Romae acceptis, Pater Noster Epistolam Collegio gratissimam misit quam nobis valde placet hoc in loco inserere:

Romae, 5 iulii 1929.

REVERENDE IN CHRISTO PATER, P. CH.

Animo grato perlegi ea quae R. V. scripsit de contionibus a quibusdam alumnis Collegiorum Beaumont et Stonyhurst apud populum Londinensem per ultimas vacationes cum tanto successu habitis. Eorum associatio (C.E.G.) ad gloriam Dei propagandam et bonum animarum manifeste nata est et ad solatium Summo Pontifici procurandum est apta, cum tam cordi Ei sit ut laici Sacerdotes in Sacro Ministerio pro viribus adiuvent.

Meas humiles preces effundo, meamque benedictionem ex corde impertio, ut zelus illorum iuvenum animas inflammet eorumque exemplum alios in eorum coetum attrahat, quo bonum semen apud Anglos magis in dies spargatur, fructusque uberrimos ferat.

Commendo me ss. SS.

R^{ae}. V^{ae}.
Servus in Christo
W. LEDÓCHOWSKI, S. I.

Unus ex alumnis huius Collegii, antequam hoc anno nomen Societati Iesu dederat, conciones septuaginta in regione Londinensi iam habuerat. Ut intime ingeratur animis Sociorum hanc

associationem esse omnino piam et opera eius non nisi piis permittenda, celebratur quinto decimo quoque die Missa specialis cui omnes sociis intersunt (1).

Ex aliis Collegiis paroeciisque Nostrorum curae traditis, nuntios accepimus hanc associationem multo cum fructu animarum florere. Diebus dominicis passim post vespertina officia conventus fiunt in foris publicis viisque et non raro catholici lapsi inde viam inveniunt ad meliorem vitam.

Omnes norunt in Statibus Unitis magni haberi in educatione exercitia dictionis ex tempore et publicae disputationis; in omnibus nostris Collegiis ea florent, sed praeterea instituuntur concertationes inter diversa Collegia et Universitates: alumni *Collegii Bostoniensis* (Prov. Nov. Angl.) decertarunt saepe cum alumnis magnorum Collegiorum et Universitatum (Harvard, Darmouth, Princeton) et plerumque unanimi suffragio iudicum victoriam splendidam rettulerunt; aliquae ex his disputationibus radio divulgabantur. Etiam in certamine scripto (essays) quod nuper inter omnia Collegia et Scholas Altas totius Status Massachusetts de « Daniele O' Connell » celebratum est, primum praemium obtinuit alumnus ex nostra Schola Alta, secundum alumnus ex Collegio, tertium alter ex Schola Alta.

Similia certamina in aliis etiam nationibus celebrantur: superiore anno *in urbe Iacobopolitana*, capite Reipublicae Chilensis, adulescens e nostro Collegio, sodalis ipse marianus optimus, in sollemnissimo concursu totius nationis praemium tulit summum, Clemens Pérez Zañartu; qui postea, maiora ausus, convenit Washingtoniensem urbem adscripsitque se illi certamini quod Carnegie Societas oratoribus iuvenibus constitutum habet ex multis nationibus: primum praemium iuvenis tulit ex Statibus Unitis, secundum Canadiensis, tertium noster Chilenus.

Iam abhinc aliquot annis viget et laborat in Gallia societas quaedam ad iura Religiosorum vindicanda instituta, nomine *DRAC* (Défense des Religieux Anciens Combattants), quae multum nunc

---

(1) Inter Martyres Anglicos, nuper ab Ecclesia in Beatorum coetum adscriptos, pertinebant ad hoc Stonyhurst Collegium, quippe qui alumni Collegii nostri ad S. Omer fuissent, e Nostris quidem: BB. Thomas Garnet, Thomas Holland, Ralph Corby, Gulielmus Ireland, Gulielmus Harcourt, Ioannes Gavan, Ioannes Fenwick, Philippus Evans, Thomas Whitbread; et e clero saeculari B. Eduardus Thwing.

fovetur ab aliquibus Episcopis, quorum aliquis eorum socios primipilos Ecclesiae vocabat, et omnino retinendos. Religiosis, sacerdotibus, laicis, immo etiam aliquibus non catholicis qui iustitiam defendunt, constat; qui omnes, bellicis meritis commemorandis, religiosos et sacerdotes defendunt omni contentione et non sine successu, adeo ut unus de Ministerio quodam publico dixerit: « nisi haec nefasta DRAC obstitisset, iam dudum expulissemus eos ». Pelliculam seu film de Religiosis in Gallia ediderunt a P. quodam Eudista factam; theatrum adhibuerunt, in quo drama « Aquae gutta » ad mensem aprilem iam tercenties actum fuerat; contra impiam associationem *LDH* (Ligue des Droits de l'Homme) fortiter obstiterunt eamque in duas disciderunt, calumnias in religiosos iactas saepe compresserunt, velut cum L. Blum scripsit religiosos in Gallia uno solo anno poenas 142 annorum carceris incucurrisse; reclamatum est, probantique 10,000 francorum oblata; nemo hiscere ausus est; cumque deinde nomina adduxerunt aliqua, probavit DRAC ea non condemnatorum esse sed saepe solum et falso accusatorum.

At anno 1926 P. Iosephus Dassonville (Prov. Camp.), rem instituit fidei sane profuturam, cuppam DRAC: videlicet certamen annuum eloquentiae inter iuvenes catholicos qui a Religiosis educantur; primum in proprio Collegio, deinde in regione, post Parisiis inter omnium regionum repraesentantes disputatur; tum demum illi selectissimi quique de proemio finali decertant. Anno 1928, Collegia 200 disputaverant; et in eius ultimo certamine, 28 iuvenes; materia fuit: « Religiosorum opera necessaria est in patria Gallia »; et ad orationem ex tempore: « respondere communistae clamanti religiosos esse divitum fautores ». Sequenti anno assignata materia est: « Religiosorum in Missionibus opera in discrimine versantur; quaenam sunt causae, quae remedia? »; orationi vero ex tempore: « Religiosus missionarius, ob patriae reddita officia publice decoratus, in tuo Collegio est locutus; ei tu respondere debes et gratias agere ».

Multa patent sine dubio bona, quae ex his concertationibus sunt exorta religiosis ipsis, sed multo sunt maiora quae Ecclesiae futura et ipsis iuvenibus praesentia enascuntur; nam oratores formantur sensim sine sensu, et tales saepe qui sibi ipsis erant et fuissent semper ignoti; deinde edocentur iuvenes de legibus iniuste datis, anno 1901 et 1904, quas exceptionis vocant, ignora-

tas iam passim a novis generationibus; praeterea in Actione Sociali ita paulatim exercentur; quodque est praecipuum, obligatos iam se credunt ante socios et gentes patrias, ad religionis iura posthac defendenda, iisdem et aliis quibus poterunt armis.

Catechismus.

Fundata est in urbe *Buenos Aires* (Prov. Arg. Chil.), *Directio Centralis Catechistica,* quae suam iam ephemeridem habet, ut succurratur quam primum tot pueris, qui omni hac christiana eruditione carent; nam ex 300,000 pueris, soli 70,000 catechesi assistunt in paroeciis vel collegiis, reliqui 230,000 sine religione christiana aut contra religionem educantur. Sub hac Directione germinare coepit superiore anno Seminarium Catechisticum ad formandas catechistas destinatum, in quo singulis diebus iovis scholae habentur ipsis propriae de Dogmate, Apologetica, Vita Iesu Christi, Liturgia, Paedagogia Catechistica, a Nostris et ab aliis sacerdotibus.

Antiquior est multosque iam fructus rettulit in *urbe Mexico* (Prov. Mex.) instituta *Catechesis* quae anno 1928 Patri Ferdinando Ambia commissa est; eo anno 54 erant eius centra, cum 12,000 pueris et 503 catechistis, 701 primis communionibus, 22,221 communionibus catechistarum. Anno 1929 Consilium Generale Directivum est constitutum idque omni hebdomada cogitur ad deliberandum de communibus operis negotiis et parandos coetus directricium; designatae etiam sunt visitatrices quae omni mense Centra sibi assignata obeunt et de numero, assiduitate, diligentia, fructibus ad Consilium generale referunt; recentibus temporibus praecipua Collegia concursum et iuvamen huius benefici operis petierunt, nec potest omnibus satis fieri, tametsi in fine anni 1929 iam 765 catechistas, cum 19,247 pueris curae earum commissis habebat.

Contra Protestantes.

Et quoniam iuvenibus et reliquae etiam societati in illis Americae regionibus, *ex Protestantismo* imminet maximum periculum, contra eum armis propriis instrui debere omnes, facile est cernere.

Anni 1930 die primo mittebat Pater Noster ad omnes Provinciales et Superiores Missionum Americae Latinae Litteras,

quibus gravissimum periculum quod nostrae fidei in illis vastissimis regionibus creant Protestantes, aperiebat, commemoratisque Societatis nostrae gloriosissimis traditionibus, excitabat ad strenue illic bellum ipsum gerendum, quod olim Patres Nostri in Europa tam diuturnum, tam acerbum, tam prosperum commoverunt et sustinuerunt. Media indicat multa et efficacissima, quae Nostri per se et per alios applicare possunt et debent, et ad haec ipsa media urgenda cupit Noster Pater, ut in singulis regionibus aliquis Pater designetur « qui diligenter investiget quid Protestantes faciant, quid moliantur, quot scholas et Collegia regant, alumnos doceant, nosocomia statuerint, missiones apud indigenas fundaverint »; eius etiam erit muneris singulis annis ad Patrem Nostrum referre « quid a Nostris in Provincia vel Missione factum fuerit ad averruncandam pestiferam luem protestanticam ».

Non defuerunt iam primi fructus, nedum haec incassum inciderint; nonnulli e Superioribus Maioribus suas etiam litteras circulares scripserunt ad subditos; singula media applicare coeptum est, studium huius nimis fortasse ignorati periculi promotum in Nostris et in extraneis; consulti Praelati et Sacerdotes; saeculares ad pugnam invitati; ad fortiter et ordinate bellum comparandum, multorum, qui etiam res fortasse sibi vicinas aut ignorabant aut non nimis verebantur, oculi aperti sunt et zelus accensus, centra nova catechistica plura et maiora per nostros sodales sunt instituta, ephemerides in hoc praelium evocatae et adiutae, Montevidei praecipue in detrahendis ab associatione Y.M.C.A. est opera inita: adversarii ipsi senserunt vulnera et bellum imminens, palamque non semel et verbo et scripto de Romanismo redivivo (The Revival of Romanism) locuti sunt his mensibus, non sine sollicitudine.

Instar exempli sit quod *in Republica Chilensi* gestum est, ope *P. Iosephi F. Correa* praesertim.

Approbatione et benedictione habita Excmi. Nuntii S. S. et Revmi. Archiepiscopi, consulto utroque Vicario Generali, duodecim sacerdotes (parochos et religiosos) convocavit, in pugna contra protestantes strenuos, et comitatum instituit « fidei defendendae ».

Primum erat, quem locum Protestantes in Chile haberent studere et, quantum licebat, omnia quae ad eos pertinebant callere: archivum collectum est omnibus illis libellis et omnis ge-

neris scriptis, quae illi mittunt ad suos asseclas, et bibliotheca est facta cum multis libris catholicis qui de Protestantismo agunt. Tum ad omnes sacerdotes multosque alios missum est folium quoddam seriem interrogationum continens quibus ipsi respondere rogabantur, de Protestantium factis, progressibus, adminiculis, asseclis. Et quoniam ipsi prelo multum laborant, adivit P. Correa cum uno ex parochis omnes directores religiosos periodicorum, obtinuitque ab eis ut in omnibus numeris aliquem articulum huic materiei dedicarent, quod quidem ita iam inde factum est, exemplo praeeunte ipso Patre in « Efemérides Marianas », periodico Sodalitatum Marianarum. Praeterea folium populare ipse instituit et dirigit, inscriptum « Diligite alterutrum » (Amaos los unos a los otros), quod magno plausu est exceptum; ex omnibus Reipublicae regionibus subscriptiones petuntur, iam fere 25.000 numero; Episcopi Ancud et Valdivia omnes suas paroecias suscriptas voluerunt, societas « La Buena Prensa » plus 2700 ipsa distribuit, parochus quidam Sancti Iacobi qui multos habet in sua paroecia protestantes 4000 exemplaria per domos mittit; nuper ex Montevideo et Buenos Aires magno numero petitiones venire coeperunt.

Decem sodalibus nostrae ad *S. Iacobi* Sodalitatis Marianae, instituta catechesis est in vico, qui sine ecclesia paroeciali totus fere subest protestantibus; assistunt 120 pueri, quibus per calles concinentibus habita est sollemnis consecratio familiarum 100, in quarum domibus SS. Cor Iesu, ut fidei sit et morum defensio, collocatum est.

Ut eidem bello in protestantes inferendo adiuvet efficacius, *P. Laurentius González,* in Seminario dioecesano Manizalensi (Prov. Columb.) professor S. Scripturae, specialem tractationem de textibus ad quaestionem protestanticam attinentibus instituit, magno ut speratur auditorum fructu ut et rei gravitatem percipiant et aptis se armis instruant.

Haec initia sunt adhuc, sed si perseverant et praesertim si, quod est Patris Nostri et Ecclesiae desiderium, per imitationem in omnibus illis nationibus multiplicantur, satis faciet Societas huic gravi officio quod ei et Ecclesiae necessitates et suae traditiones graviter imponunt. Huic negotio specialiter promovendo, est in hac Societatis Curia secretariatus proprius sub directione Substituti pro America Latina collocatus, ex quo multi

prodeunt articuli et omnis generis informationes et simul opera praeparantur (1), quae multos adiuvare poterunt ad hostes catholicae Ecclesiae cognoscendos et coercendos.

Cum emigrantibus.

Sinensibus in Cuba degentibus, qui multi sunt (Habanae circiter 30.000, in tota insula ad 200.000) et prorsus neglecti, operam nostram exhibere iam incepimus, nam ostium apertum videtur quo ad hos homines accedere possimus. Iam dudum piissimae aliquot feminae, quae nihil aliud quam animarum salutem cogitant, vehementer a S. Francisco Xaverio postulabant ut via sibi aperiretur qua infelices hos sinenses ad Ecclesiam Catholicam attrahere possent, cum nescio quo casu in miserum inciderunt hospitium in quo senes pauperes sinenses colliguntur. Itaque inceperunt hos visitare; tunc Nostros monuerunt, et iam singulis hebdomadis P. Arias hos senes visitat, docet et plus minus instructos baptizat. Omnes magna alacritate et Patrem et feminas catechistas excipiunt; vix ullus est qui baptisma reiecerit; immo plus centum iam id receperunt: ex quibus sex a R. P. Viceprovinciali die sacro Epiphaniae sunt baptizati. Scimus caritatem in pauperes exercitam non displicuisse praestantioribus sinensibus. Sed cum praecipua difficultas ea esset quod carerent Patre in lingua eorum perito, iam diligentia Superiorum providit ut P. Petrus Chan ex Missione Siu-Hing, Canton (Prov. Lusit.) eo evocaretur, et P. Iosephus F. Crespo (Prov. Legion.) ex miss. Anking iam transferretur. Hic pervenit nuper in Insulam Cubam, et sinensium evangelizationi se accinxit non sine spe magni fructus. Optime receptus est ab Archiepiscopo, qui plenas facultates ipsi commisit, quasi, aiebat, « ipse esses episcopus pro sinensibus ». Ipsi etiam Legatus et Consul sinenses amice eum receperunt et opem promiserunt. Laborat nunc in nosocomiis pro sinis et in lingua Cantonensi addiscenda.

Constat in Iaponia nonnullos Bonzos sese Societati Niponicae obtulisse ut suos cives *in Brasiliam emigrantes* comitarentur et in religiosis adiuvarent; reiecta propositio est, et quia, aiebant,

(1) Nuper prodiit opus: Camillo Crivelli, *Los Protestantes y la América Latina*, Conferencias, Acusaciones, Respuestas; cui edendo multum adiuvit caritas R. P. Provincialis Mexicanae, et unus P. Provincialis, Arg. Chil., iam 1000 exemplaria petivit. Interea idem scriptor alium ampliorem librum conscribit.

ea societas non eo pergit ad opus sectarium faciendum et quia potius vult ut in catholicam religionem convertantur ut facilius cum indigenis socientur. Urbs ad flumen Acarà 10,000 familiarum dicitur habitura, quae iam magno numero accedere coeperunt; duos adhuc in urbe Parà ea societas duces posuit, alterum paganum, alterum ferventem catholicum, D. Fukuhara. Ipse fuit aliquorum puerorum patrinus, qui iam, tertio ab adventu die baptizati sunt numero 25, a P. Constantino Tribut (Prov. Lusit.); multi etiam adulti eam ipsam gratiam obtinere nituntur.

Paedagogica.

Les ardentes (Fervidae) est nomen associationis cuiusdam institutae a P. Carolo Coméliau, Prov. Belg., inter magistras scholarum officialium urbis Leodiensis et regionis vicinae (Liège) ad eas spiritu vere christiano et apostolico imbuendas. Res difficillima erat, quia scholae illae sunt neutrales, constantes multis magistris nullatenus catholicis, et dependentibus ab administrationibus parum catholicis. Ad hoc tamen iam perventum est, ut sodales illius associationis quotannis Exercitia Spiritualia instituant; tertio quoque mense diem fere integrum recollectioni spirituali impendant; tertio item quoque mense diem habeant « circuli studiorum », in quo difficultates, quas contra religionem motas audiunt, refellantur et praecipua capita dogmatis et moralis ex ordine exponantur; etiam bibliothecam specialem habent et periodicos aliquos libellos sibi transmissos. Quod primo aspectu impossibile videtur, opere tamen effectum est; et paulatim crescit et extenditur.

Domus Roothaan appellatur in urbe Amstelodamensi exstructum maximum aedificium, cuius finis est, ut omnes catholici a nativitate ad exitum usque, utili et iucundo modo in congregationibus, unionibus, societatibus coniuncti occupentur.

Dicatum fuit Venerabili Patri Roothaan, felicis memoriae, nato atque educato in hac nostra paroecia (sic inde scribunt) prope hoc novum aedificium in via Laurea.

Totum hoc Institutum in quattuor divisum est partes, scil. pro infantibus lactentibus, pro pueris et puellis scholaribus, pro adolescentibus et tandem pro adultis.

Quod primam spectat huius Instituti partem, notandum est, numerum baptismorum in nostra paroecia et in tota civitate tristi

modo decrescere. Inter causas numerari debet, quod in hac civitate circa decem habentur instituta, quae vocantur « dagcrêches », domus scil., in quas infantes a nativitate fere ad annum quintum, si mater debet praestare labores, aegra est vel demortua, mane asportantur, ut vespere iterum abducantur. Hi infantes maximum incurrunt periculum non recipiendi baptismum atque ad scholas neutrales infantium generatim ducuntur. Quare in nostra domo Patri Roothaan dicata, primam catholicam ereximus sic dictam « dagcrêche », in qua infantes quoque haereticorum locum invenire possunt.

Si scholas adire incipiunt, pueri et puellae alteram partem nostri Instituti ingrediuntur. Sunt pueri et puellae, qui per totum diem ingredi non valent propriam domum, cum parentes aegrotent aut extra domum in laboribus occupentur. In nostro aedificio hi pueri tempore inter scholas matutinas et vespertinas vitam domesticam agunt in parvas divisi turmas, ibique manducant, litteras addiscunt etc. Horis autem scholarum vespere absolutis, in nostra domo in utilibus atque iucundis negotiis exercentur.

Ad aetatem vero tredecim annorum circiter, omnibus scholarum inferiorum studiis peractis, ad tertiam nostri Instituti partem iuvenes accedunt. Iterum in turmas divisi singulis diebus vespere, post labores exactos, diversis instruuntur negotiis et artibus, atque quod maximum est, talem accipiunt educationem, ut sperare liceat, fore, ut in posterum cives exculti et religioni optime dediti evadant. Ex his plurimi sodales fiunt unius ex quinque iuvenum congregationibus in nostra Ecclesia erectis. Huic tertiae parti adnexum est institutum quod « scout » nuncupatur.

Quarta tandem Instituti pars adultis est designata. Hi quoque in nostra domo utilia amoenaque omnis generis invenire possunt atque multi membra fiunt unius ex tribus nostris Congregationibus pro adultis. His in diversis disciplinis traduntur instructiones, quibus ad vitam vere christianam et ad prosperitatem quoque societatis civilis apti redduntur.

Maxima in aula exhibitiones theatrales vere catholicae aguntur, atque instrumentum cinematographicum, iuxta novissima scientiae dictamina exstructum, ea conspicienda praebet, quae utilia rectaque sunt.

Alia in aula diversi generis folia, ephemerides, periodica, scripta atque maioris voluminis prostant libri, quae homines sine

ullis impensis gratuito perlegere valent, quod dicunt « Eerste openbare R. K. leeszaal ». Habetur quoque bibliotheca, cuius libri in tres partes divisi pueris, adolescentioribus et adultis accomodantur.

Pauperes tandem in quibusdam cubiculis, difficultates, quibus premuntur, communicare possunt, ut ab aliqua paroeciali societate operibus caritatis destinata levamen accipiant.

Hoc modo, quantum fieri potest, curam omnibus praebemus. Viginti circiter personae, continuo adnexae sunt operibus nostrae domus, quae cotidie ab externis iuvamen accipiunt. Si, quod faxit Deus, auxilium sufficiens nobis praebetur, atque homines, ut sperare licet, frequentant, quadringentas circiter turmas, quarum singulae decem saltem personae numerant, nostris curis iuvare valemus. Ill. ac RR. Dominus noster Episcopus Harlemensis, propria manu domum benedixit et magnopere laudavit.

Mense ianuario 1930 sex conferentias habuit *P. Yvo de La Brière*, Genavae, audientibus non solum Instituti Internationalis alumnis ad multas orbis terrarum regiones pertinentibus, sed etiam non paucis ex Congressu Nationum. Explicuit Summi Pontificis Primatum et Pacti Lateranensis naturam; magna cum attentione auditus est. In fine, publica contione, declaravit Rector illius Instituti, protestanticus ipse, opem Romani Pontificis hodie ad pacem quae tantopere quaeritur stabiliendam, esse et validissimam et prorsus necessariam.

Quando vero *P. Ericus Przywara* (Prov. Germ. Sup.) a Comitatu conferentiarum in urbe Zurich est invitatus, ut de « Charactere religioso negotiorum recentiorum » loqueretur in ea Universitate, incredibile dictu est quantum bellum concitaverit anticlericalis quaedam ephemeris, quae articulum 54 Constitutionis Helveticae a. 1874 referebat, quo Nostri vetarentur illic ministeria exercere. Habita tamen conferentia est, et concursu etiam ob eam ipsam causam, solito maiore, et multum de ea re disputatum, et tota controversia tandem in bonum Ecclesiae cessit; nam etiam consilium generale studentium, 17 suffragiis contra 10, reprobavit eos qui impedire conabantur abolitionem illius articuli 54 nobis infensi.

Nihil autem deterrere Nostros potest a laborando impense pro iuvenibus in Universitatibus quae tantis periculis sunt hodie obiectae. *Vallisoleti* (Prov. Legion.), convictus pro eis « Residen-

cia Universitaria Menéndez y Pelayo» optimis auspiciis institutus est recenter. *Academia «Bios»* quam ad dirigendos iuvenes qui Medicinae student instituerant PP. Iesus Amozurrutia et Bernardus Bergoend in urbe Mexico (Prov. Mexic.), iam aptis instrumentis praedita est, habetque iuvenes qui in ea assiduo laborent 35 ex primo anno, totidem ex secundo, quinque qui thesin doctoralem praeparent; sunt qui toto die illic degant, excepto tempore scholarum; excoluntur etiam in bonis moribus et doctrinis catholicis.

Scripta.

Cum hoc anno *P. Remigius Vilariño* (Prov. Cast.), quinquagesimum a Societate inita annum celebraret, ediderunt amici eius computationem quandam eorum quae ab hoc iam ab anno 1902 directore Nuntii SS. Cordis Iesu in Hispania sunt scripta: ea sunt, plus 20.000 paginae, in Nuntio ipso 11,058; fundavit ephemerides *Sal Terrae* ad clericos, quae nunc in Universitate Comillensi (Prov. Legion.) feliciter directa 8,000 subscriptores habet, *Hosanna* seu Nuntium ad pueros cum 13,000 subscriptis, *De Broma y de Veras* ad res litterarias, de qua iam 3,685,500 vendidit, folia popularia *Rayos de Sol* quae numero 41,153,477 sunt iam divulgata; opuscula 80, opera 14, inter quae eminent Devotionaria (completum, iuvenum, militare, scholasticorum S. I., Coadiutorum, Religiosorum, populare quod 2,846,237 exemplaria obtinuit) et *Vitam* praesertim *Iesu Christi*, 760 paginarum, quae plures editiones habuit et plus 70,000 exemplarium vendidit.

Haec omnia cum rescivisset Summus Pontifex, paterna benignitate commotus Litteras misit P. Vilariño gratulatorias, quibus ad opus alacriter persequendum vires addebat.

Unum magnum opus, vere monumentum aere perennius, confecit *P. Adhemar d'Alès* (Prov. Franc.) «Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique». Iam viginti anni elapsi erant postquam primo editum fuerat a sac. Ioanne B. Jaugey; eius exemplaria, 15,000 numero, iam exhausta, signum sunt opportunissime accidisse catholicis; necesse ergo visum est nunc sicut olim «bonae voluntatis catholicos locupletare praecipuis fidei argumentis et responsis contra omne genus obiectiones in eam assiduo congestas»; sed nova editio, si umquam tentanda erat, multa mutare, plurima addere, non pauca seponere debebat, ut erant magni pro-

gressus interea facti, et ut erant diversa adiuncta quibus tunc fideles versabantur.

Invitatus est P. d'Alès ab editore ut id sibi onus assumeret; recusavit, semel et iterum; tandem, quia res urgebat et quod periculum esset ne in manus incideret alienas, quae illius primae tesserae obliviscerentur « orthodoxia, iudicii integritas, scientia, caritas », aut alicui ex eius capitibus minus responderent, aggressus opus est, ratus nimirum, brevi tempore aut non multis mutationibus factis, rem absolutum iri sine aliorum munerum quibus retinebatur detrimento.

Sed rem propius contemplatus, longe aliter iudicavit: opus crescebat eundo; novum dictionarium idque amplius et profundius erat redigendum; antiquum illud vix particulas aliquas, disiecti membra scriptoris, poterat offerre; novi, in sua quisque materia excellentes, scriptores erant conquirendi, et simul (id autem erat omnium difficillimum) severa quaedam sobrietas conservanda, praecidenda luxuries articulorum ut opus exsisteret tum consultu facile tum tempore editum in lucem.

Subvenit tunc Patri Directori nostrorum Patrum ex quattuor Galliae Provinciis in studiis ecclesiasticis et in arte scribendi peritorum et copia et mutua caritas et zelus ad sacras doctrinas defendendas; quorum omnium unanimi concursu, consilio, scientia, calamo, his viginti duobus annis, vel inter gravissima obstacula ex diuturno et durissimo bello parta, illa 4 volumina prodiere quae tam multos toto orbe terrarum ad Ecclesiae defensionem iuvant.

Non est fas nomina eorum scriptorum hic recensere, quae in fasciculo Appendicis nuper ab auctore edito sunt conscripta; illud satis sit dicere: tametsi nonnulli, valde pauci, scriptores ex vicinis nationibus aliquam operam posuere, etsi in Gallia ipsa aliqui ex optimis catholicis auctoribus, sacerdotibus et religiosis praesertim, non ita magnum numerum articulorum contulerunt, tamen non solum difficiles directionis curas sed etiam arduum diversarum materierum tractandarum laborem et molestias, praecipue Patres nostri ex quattuor Provinciis Galliae sustinuerunt, et in eis vel maxime Provincia Franciae, hi praesertim Patres qui in Instituto Catholico aut in nostra ephemeride *Études* sunt occupati; quorum omnium diligentissima opera effectum est ut pateant iam illi fontes sacrae doctrinae, copiose, erudite, solide ex-

positae, et cum magna erga Ecclesiam catholicam et eius auctoritatem oboedientia et humili subiectione.

Occultiorem sed efficacem tamen et S. Ecclesiae defendendae morumque doctrinae inculcandae aptissimam operam posuerunt aliquot nostri PP. Provinciae Aragoniae, qui a littera C maximam partem articulorum scripserunt in amplissima illa *Encyclopaedia «Espasa»*, qui pertinent ad Litteras praesertim classicas, ad Theologiam Scholasticam, Positivam, Moralem, ad Historiam Ecclesiasticam, Hagiographiam, Liturgiam, et veluti mediam partem eorum qui res Biblicas attingerent (nam reliquos Benedictini Montserratenses conscripsere), Philosophiam, Scientias (biologicam, botanicam, etc.) ei connexas, Paedagogiam, Societatem Iesu, alia; praeterea censores et correctores fuerunt plurimorum articulorum ab aliis confectorum, si cum Orthodoxia coniuncti videbantur. Volumina iam plus 70 prodiere (ca. 1500 paginarum habent singula), nunc edentur saltem decem alia ut Appendix, et postea Ephemeris, quae ea omnia renovet et recentissima quaeque publicet: ex quibus omnibus bene apparet quanta mala sint evitata, quanta bona collata, hoc assiduo et non semper grato labore. Eius proventus in bonum domesticae Bibliothecae fuerunt destinati.

Studiorum applicationes.

Scientificos progressus in commodum nostrae fidei convertere diu contenderunt *P. Ioannes Kramers* et eius successor *P. Antonius Mulder* (Prov. Neerl.), qui ea quae P. Ludovicus de Groot eiusdem Provinciae iam gradatim, multo cum labore perficiebat, tandem obtinuerunt. De tabulato acustico, quod vocant, agitur, cui conficiendo cognita cuiusque Ecclesiae natura et forma, concha quaedam exstruitur lignea et retro post contionatorem collocatur, varia pro variis loci adiunctis deducta ex acusticae physicae legibus. Bonus eventus rei utilitates praedicat, cum iam plus 90 in diversis ecclesiis collocanda curaverint, inter alia nuper in nostro S. Ignatii romano templo, magno quidem contionatorum auditorumque in tam amplis aedibus commodo.

Domus E. Leybold, Coloniae construxit et vendit Thermoregulatorem electromagneticum a *P. Ioachim Redín* (Prov. Cast.) inventum.

Adhibetur *aeroplanum* non solum ad fugiendum e mundo,

uti nuper duo iuvenes in Prov. Missouriana eo vehiculo ad novitiatum pervenerunt, sed maxime ad verbi Dei praedicatores in dissitissimas et alia via difficillimas aditu oras transvehendos. *Fr. Coad. Georgius Feltes* (Prov. Calif.) fuit sine dubio primus in Societate aviatoris titulo insignitus, qui quidem dum Alaskanae Missionis felicissime servire se sperabat, summo cum dolore id vidit quod omnes non minore tristitia audire debuimus. Ob caeli adversam tempestatem, Alaskanum iter in posterum diem differre constituerant; tunc aviator quidam cuius operam locaverant ut fratrem Feltes doceret locos ad volatum interrumpendum idoneos, cum videret machinam motricem iam calefactam esse, invitavit R. P. Philippum I. Delon, Alaskae Borealis Superiorem, ut brevem volatum facerent sicque ad crastinum iter sese praepararent; assensus est Pater simulque cum Domino Walsh, sacerdote, aeroplanum conscendit. Verum gyro iam facto, cum terram contingere vellent, ob loci angustiam cursum diverterunt, sed heu! nimis subito, proramque horribili casu in terram impegerunt; accucurrit F. Feltes; tum utrosque sacerdotes tum ipsum navarchum miserrime disruptos et dilaniatos repperit. RR. DD. Crimont S. I., Vicarius Apostolicus Alaskae, postquam lamentatus est tristem casum, declaravit: « omnia argumenta ad aeroplanum adhibendum in Missione, perstant immota, nam immotae perstant necessitates tum pastorum tum ipsarum animarum ».

Patris Caroli Heredia (Prov. Mex.), auctoritas et influxus effecit ut Nostris Mexicanis magna imminutio pretii concederetur (50 %) in patriis et nonnullis Statuum Foederatorum aeriis navibus; quae ideo iam frequenter adhibentur a Nostris.

P. Michael Ahern, qui magister est scientiarum in Collegio Westoniensi (Prov. Nov. Angl.) curam etiam sibi commissam habet Horae Radii Catholicae (Catholic Radio Hour), qua omni dominica die, ad plus quam 1.000.000 auditores, de re et doctrina catholica sermo habetur; de eius fructibus in paroeciis frequenter ad Nostros scribunt sacerdotes, quod videant catholicos multa doceri ea ratione et infideles praesertim ad ecclesiam etiam magis adduci.

Fr. Coadiutor Prov. Germ. Sup. *Leonardus Zimmer,* in tribu selvatica Kune in Khandala, dioecesi Poonensi, totum vicum seu parvum oppidum construit, domibus callibusque perfecte ad amussim directis, prorsus sicut in domibus, quas oeconomicas vocant,

fit pro operariis in magnis Americae et Europae urbibus. Non parva difficultas fuit in indigenis ad sedem fixam statuendam inducendis, nam nomades sunt; sed iam et scholam aperuit et viros mulieresque tapetas facere docet eorumque opera ipse assiduo et sollerter dirigit.

Iuvat hic inserere verba quae Archiepiscopus Hinsley, Legatus Apostolicus in Africa, scribebat nuper in « The Universe » eo articulo cui inscripsit « Trans Africam »: « saepenumero mecum sum meditatus ubi lateant secretae iesuitarum aureae fodinae, unde pecuniam eruant ad ea magnifica aedificia quae mirabar in bonum missionis erecta » (mirabatur vero opera Nostrorum PP. in Vicariatu Kwango, Missionis Kongo, Prov. Belg.): « In virtute et robore *Nostrorum Fratrum Coadiutorum* » responderunt Patres nostri.

Leprocomia.

Duorum insignium filiorum ossa vidit a saecularibus sollemniter translata Provincia Aragoniae: *Patris Caroli Ferrís* et P. Friderici Faura. Ille *Leprocomium* « *Fontilles* » in districtu Valentia (Hispaniae) instituerat anno 1909, in quo cum mortuus a. 1924 est, 443 infirmi recepti fuerant, et id quidem assiduo caritatis multorum exercitio, et non tam sumptibus publicis, ut dici etiam possit plura inde collata fuisse bona, extra, quam intra nosocomium ipsum. Plurimorum rogatu erecta ei fuerat magna statua in ipsa statione leprosorum, qui etiam non destiterunt quoad eius ossa in medio sacello collocata die 3 apr. viderunt. Hucusque 436 viri et 199 mulieres lepra affecti caritati Nostrorum fuerunt subiecti, ex quibus 259 iam mortui sunt, 173 restant adhuc, reliqui in suas domos restituti sunt, maximam partem perfecte sanati.

Ab eadem Provincia Aragoniae in spiritu rectum fuerat aliud pro Leprosis Institutum, quod nunc ad Prov. Maryl. N. E. pertinet. Quinque milia iam sunt in eo *Leprocomio, Culion*, Insularum Philippinarum eique duo PP. et unus Fr. Coadiutor dedicati. Nemo non videbit per multos annos quantam occasionem obtulerit Nostris magnorum sacrificiorum, ad quae tamen adfuit semper magna copia eorum qui sese sponte obtulerunt. Inter multa quae in ea dolorum sede, geruntur opera, nunc cura etiam maior adhiberi coepta est in pueris illic natis a contagione liberandis, non

minus labis corporis quam spiritualis corruptionis. Alius Pater nuper destinatus est ad novum leprocomium quod in insula Cebú, earumdem Philippinarum, est inauguratum; qui tamen dum residentia cum sacello construitur, degit in urbe *Cebú,* visitat quotidie leprosos et in scholarum publicarum alumnis spiritu iuvandis occupatur.

Observatoria.

Magnus etiam hominum benefactor habetur *P. Fridericus Faura,* qui cum adhuc ea studia minus certa erant, mirabiles progressus fecit in tempestatibus providendis, qua in re ipse per se suaque nuntia plurimos a naufragio aliisque ruinis eripuit, sed, praecipue legibus a se repertis studiisque publicatis, novos aliis progressus praeparavit et pergit beneficia facere, non solum in suo illo quod tam multis laboribus instituit laboratorio meteorologico Manilae in Insulis Philippinis, sed etiam in multis aliis locis.

Ipsis diebus quibus haec laus conferebatur huic Societatis filio, moriebatur eius discipulus et in labore socius *P. Ioseph Algué* eiusdem Provinciae.

Antequam Manilam proficisceretur, qui iam studuisset mathematicis superioribus Barcinone, missus Georgetown est, ubi sub Patris Hagen directione, scientiae meteorologicae et astronomicae se dedit. Bina referuntur eius praecipua inventa, telescopium zenitale cum reflexione ad latitudinum mutationes inquirendas, et barocyclonometrum, quod, praesertim ante undarum telegraphiam inventam, summas attulit utilitates ad cyclonum (baguios) adventus directionemque nuntiandos. Ei commisit Gubernium Americanum Weather Bureau, idemque Gubernium, cum vidit eum paratam habere scriptionem cuiusdam magni Atlantis Insularum Philippinarum, evocavit eūm in urbem Washington suisque expensis elegantissimam eius editionem fecit, et quidem ipsa lingua qua scriptum erat hispana. Doctor fuit honoris causa Universitatis Georgetown et Manilae, Socius honorarius Regalis Societatis Meteorologicae Londinensis, et socius correspondens Pontificiae Academiae dei Lincei, Romae. Cum ad res philippinas in Expositione Vaticana exhibendas venisset in Europam, reverti denuo iam non potuit, sed caecus fere P. Spiritualem Nostrorum fecit in nostro Seminario Minore prope Tortosam, omnium aedificatione, quoad sancte decessit die 27 maii 1930.

Magna est celebritate cognitus *P. Ioannes Hagen* (Prov. Germ. Sup.). Abhinc triennio, cum annum 80 vitae expleret, vidimus eum undique acclamatum et a S. Pontifice aureo nomismate decoratum, et paulo ante mortem etiam vires se recuperaturum sperabat, ut pergeret eam Speculam Vaticanam dirigere quam per 24 annos tam sapienter direxerat. Postquam in urbe Georgetown director Speculae factus est anno 1888, potuit iam omnibus mediis instructus illi suo operi incumbere, Atlanti Stellarum Mutabilium, quod non adeo potuerat prius conficere in Specula Prairie du Chien (Wisconsin, in Statibus Unitis) ubi formatus astronomus est: plus quam 40,000 observationes astrorum fecit, comparavit, ordinavit, ad scalam comparativam magnitudinum stellarum conficiendam.

Cum vero Romam translatus est, fuit eius primum munus zonam illam caelestem, cuius studium sub Summo Pontifice Leone XIII inceperant, perficere. Multo labore, industria, patientia, adiutusque D. Turner Oxoniensi et P. Lais, Oratoriano, edidit tandem anno 1928 decem illas zonas, quibus tota ea pars globi caelestis studio et admirationi patuit peritissimorum in ea re virorum. Opus « Stellae Variabiles » compilatio est et renovatio, simul etiam completio, eorum quae de hac tam saepe discussa re sunt scripta. In « Colores stellarum » adhibuit 2881 stellas a P. F. de Vico in Collegio Romano observatas, quibus addidit plurimas aliorum et praesertim suas colorum aestimationes, ut omnes fateantur has postremas praecipuum operis pretium facere. Ingeniosus est et valde utilis liber « Rotatio Terrae », qui multa huius facti collegit argumenta, non pauca quidem ab ipso P. Hagen inventa. Sed summam perillustris astronomi curam, his postremis decem annis, consumpsit studium nebulosarum obscurarum, quibus contendit totum caelum esse sparsum, excepta Via Lactea; opus reliquit de hac materia fere absolutum, cum morte vere pia et religiosa evocatus a Deo est, ut stellarum Dominum, non in speculo nec in aenigmate sed dilucide et perspicue contemplaretur in aevum.

De P. Hagen erat acturus *P. Ioannes Stein* (Prov. Neerl.) illo celeberrimo conventu, qui in urbe Amstelodamensi die 13 septembris est habitus, ubi, quidquid alicuius pretii in studiis astronomicis et meteorologicis erat in Neerlandia, coactum est ad huic Patri valedicendum, cum ad Speculae Vaticanae directio-

nem Romam erat profecturus. Coetus Astronomicus Neerlandicus (Nederlandsche Astronomen Club) binoculum pretiosum abeunti donabat, ne caram patriam oblivisceretur, ea inscriptione a Professore Damsté facta: « ne me despicias suetus longinqua tueri ». Neerlandica Astronomica et Meteorologica Associatio (Nederlandsche Vereeniging voor Weer- en Sterrekunde) elegantissimam Historiam Astronomiae dedit ob eius de re astronomica praeclara scripta, inter quae memorabant quae de Papa Calisto III et cometa Halley scripserat. Eius Associationis Sectio Amstelodamensis fecit Patrem Honorarium Praesidem. Multum in tota patria locuti sunt de tantis honoribus viro catholico, sacerdoti, iesuitae tributis.

Observatorium Nostrorum in urbe Habana (Prov. Legion.) magno praemio donatum est ab Expositione Universali Hispalensi 1930.

Cuidam Speculae publicae in Dinamarca erectae nomen inditum est « *Secchi* », in memoriam nostri celeberrimi astronomi.

Etiam Patri *Bonaventurae Berloty* (Prov. Lugd.) insigne Equitis Legionis Honoris concessum est, propter multa quidem studia, praesertim geodesica in Syria facta, sed praecipue ob fundatum Observatorium Ksara.

P. Ernestus Gherzi, ex observatorio Zi-ka-wei, electus est Membrum correspondens « Academiae Pontificiae Scientiarum et Novorum Licaeorum », factus etiam est de Consilio ad geophysica studia Nationalis Academiae Sinensis Gubernii in Pekin, et commissa ei est exstructio primi sinensis sismographi et collectio instrumentorum ad Stationem Sismologicam prope Pekin.

Observatorium Zi-ka-wei dono accepit a Regia Italica Classe integrum apparatum emissionis radialis quo etiam cum Europa communicare potest; e Galliae vero Gubernio accepit ultra consuetas pensiones 30.000 francorum.

In urbe Sidney, Australia (Prov. Hiberniae) Collegium S. Ignatii («Riverview») speculam «sismologicam» peritorum iudicio primi ordinis instituit. Varia « sismometra » recentissima atque perfectissima providit, in cubiculis collocavit, et circum cubicula ad studium exstruxit. Ita fit ut sismologicae observationes quae ab hemisphaerio australi desiderabantur nunc a Nostris suppeditentur et ad « Officium sismologicum internationale » quod Ar-

gentorati sedem habet telegrapho transmittantur, curante omnia ac indefesso labore dirigente P. Gulielmo O' Leary.

In re quoque astronomica idem Collegium inclarescit. Nam magnificis « telescopiis » utitur pro caeli solisque imaginibus photographicis, nec non ad « variabilium siderum » studium, ad mensuras « stellarum duplicium » micrometricas. Plurimum denique praestat « radiationis solaris » studio, quo fit ut statio Riverviensis «una ex typicis stationibus Institutionis Smithsonianae Washingtoniensis » habeatur cum eaque cooperetur.

Et quoniam de Observatoriis incidit sermo, hoc anno *Domus Dertusana* (Prov. Arag.) quinquagesimum anniversarium celebrat; in qua, ut omittamus de his dicere quae, dum collegium Maximum erat, fecit (sat enim erat nomina aliqua recensere, ut PP. Pauli Hernández, Casajoana, Muncunill, Mach, inter mortuos, e vivis vero multos alios PP., in ea domo egregie in sua quisque materia, formatos), his ipsis diebus vicesimum quintum ab inaugurato a P. Ricardo Cirera Observatorio festum faciunt, quod non cessavit ab eo die in sua scientia progressus magnos facere, et gloriose Catholicae Ecclesiae servire, nunc praesertim cum, sub P. Aloisio Rodés directore et P. Ignatio Puig subdirectore, altissimum retinet nomen catholicum apud exteras quoque nationes, pergitque illud implere quod eis Pater Noster reliquit scriptum et manu sua signatum: « discite cum Sancto Patre Nostro Ignatio terram contemnere cum caelum aspicitis, discite Deum hominibus ostendere, cum astra patefacitis ».

Tam hoc Observatorium quam quod Nostri astronomicum et meteorologicum dirigunt *Granatae* (Prov. Baet.) suas proprias sedes habuerunt in Expositione Internationali, illud in Barcinonensi, hoc in Hispalensi, ubi multas magneticas, meteorologicas, astronomicas descriptiones et photographias, interdum rarissimas, et apparatus, nonnullos a Nostris inventos et etiam confectos, exhibuerunt, magna quidem peritorum admiratione, qui ita Nostros videbant docentes, scientias optime cum Ecclesiae doctrinis cumque vitae religiosae practicis coniungi et promoveri.

Congressus.

In eadem Expositione Barcinonensi domus ampla et magnifica erecta fuit ad *Missiones Catholicas* exhibendas; magnam in ea Nostri operam contulerunt, praesertim *P. Victor Elizondo,* secretarius Comitatus et Director elegantissimae ephemeridis Expositionis; fructus vero in missiones fuit sine controversia splendidus. Praeter enim ea bene multa quae ad gentilium nationum mores et naturam ostendendam exposita illic sunt, multa fuerunt exhibita eorum quae hac occasione et associationes et paroeciae et dioeceses et instituta religiosa praeparaverunt, ut missionariis dono mitterent ad regnum Dei propagandum. Illic etiam celebratus est Congressus Missionum hispanicus, assistentibus ipsis Regibus et 20 Episcopis, missam cantantibus 10,000 vocibus, audientibus in Stadio 60,000; et postea illic habita est Hebdomas de Scientia Missionum, quorum omnium Nostri pars magna fuerunt; eorum enim opera effectum inter alia est, ut diversi conatus iam prius exsistentes in unum congruerent, et Societatem ad studia Missionum scientifica fovenda conficerent. Fuit in hac re praecipue efficax Patris Petri Leturia (Prov. Cast.) interventus.

In *Congressu* Internationali *Missionum* qui diebus 5-9 iul. 1929 ad Mödlin est coactus, exposuit P. Petrus Charles (Prov. Belg.) naturam et finem proprium Missionum in Ecclesiae Catholicae mente, et P. Andreas Arnou (Prov. Franc.) de Comitatu egit Internationali Laboris in Societate Nationum deque fructibus quos ex eo possint Missionarii eruere.

Uterque hic Pater interfuit cum multis e Nostris in Primo Congressu Missionali Studentium AUCAM quod Lovanii in Belgio coactum est.

Iam ad inauguralem pompam, 500 iuvenes et 200 virgines universitarii cum 40 professoribus adfuerunt, quibus praeerat totus Belgii Episcopatus. Hoc enim ad Missiones iuvandas beneficentissimum opus habet iam socios activos 1319, qui nunc in universitatibus student et 480 professores aut antiquos alumnos. Fundatum die 25 februario a. 1925, finem persequitur prorsus sibi proprium: ad communi consilio pro Missionibus laborandum, universitates et viros doctos movere et praeparare, omnibus quidem mediis adhibitis, sed maxime studio profundo et cognitione indolis, historiae, morum cuiusque gentis paganae, ad mutuam

comprehensionem et auxilium fovendum et iuvandos missionarios, ut sese eorum moribus et naturae, quantum prudentia patitur, accommodent. Hinc eius nomen: Associatio Universitaria Catholica Adiuvandis Missionibus.

De India eiusque antiqua historia egit in prima Sessione Generali P. Michael Ledrus (Prov. Belg.), de periculo in Missiones exorto ex rapidissima industriae evolutione et de Bolcevismi damnis P. Arnou in secunda; in eadem P. Albertus Hublou (Prov. Belg.) de nationalismi indole, malis et commodis in Missionibus. Magna fuit praesertim opera P. Charles, qui et primus fuit institutor huius associationis et eius promotor generalis nomine et re pergit esse.

Cum catholici Belgici de Libera seu non officiali *Educatione* vellent Internationalem *Congressum Bruxellis* cogere, praesertim ut alteri Congressui laico illic habito resisterent, magna Nostrorum, et multorum quidem, opera sollicitata et adhibita est, ut felicissimus qui quaerebatur exitus obtineretur, et P. Leo Morel, Rector Collegii S. Ioannis Berchmans in eadem urbe, nullum lapidem non movit, ut in patria et foris multos alliceret et excitaret. Revera multi convenerunt Nostri ex Gàllia, Germania, Austria, Neerlandia, Hispania, Italia, Anglia, Hibernia, et etiam ex Americae nationibus.

Tum ipse P. Rector, tum RR. PP. Provincialis et Viceprovincialis praefuerunt aliquibus sessionibus; ad doctrinam vero sane christianam figendam valide interfuerunt PP. Marius Barbera e Civiltà Cattolica, P. Ferdinandus Willaert (Prov. Belg.), P. Henricus Herrera (Prov. Leg.), qui nomen gerebat Associationis patrum familias Hispaniae; praeterea contiones iustas habuere: P. Iosephus Schröteler (Prov. Germ. Infer.) de docendis discipulis in labore exercendo, P. Leopoldus Willaert (Prov. Belg.) de Historiae disciplina, P. Augustinus Goupil (Prov. Franc.) de Persona Iesu Christi in docenda Religione, P. Ioannes O'Meara de statu educationis liberae in sua patria Hibernia, P. Timotheus Corcoran (Prov. Hib.) de Philosophiis veris et falsis, qui etiam locupletem Expositionem rerum ad Catholicorum in Hibernia educationem pertinentium instruxit, et cum P. L. Morel et duobus aliis viris, belga altero, altero batavo, Comitatum constituit ad futurum Coetum post triennium praeparandum. Quoniam primus

hic Congressus fuit, non tam res minutae constitui nec disputari potuerunt quam vires cognosci, mutuum auxilium promitti, status rerum in aliis nationibus revelari, via sterni ad efficacius posthac pro Ecclesiae libertate depugnandum.

Non poterant Nostri alieni esse, nec profecto fuerunt, a magno illo *Congressu* quem, post tantum temporis intervallum, potuit tandem *Apostolatus Orationis Bracarae* (Braga) in Portugallia celebrare et quanta quidem sollemnitate et fructibus!

Nomen Summi Pontificis agebat, Emmus. Cardinalis Primas Patriarcha Ulissiponensis, qui non solum strato vestibus calle sed etiam manibus et humeris est exceptus et translatus; omnes praelati lusitani aderant, etiam Patriarcha Indiarum et Episcopus Insulae Madera; interfuit etiam civilis auctoritas, nam et urbis gubernator adfuit omnibus sollemnibus sessionibus et praefectus civitatis publice christianeque verba habuit, et Emmus. Legatus honoribus militaribus est receptus.

Brevia quidem sed omnibus gratissima et opportunissima verba fecit in secunda sessione generali, P. Ioseph Boubée (Prov. Tolos.), in eam rem ab Apostolatu Orationis in Gallia missus; in tertia PP. Aloisius G. da Fonseca ex Instituto Biblico, qui iussu Emmi. Primatus a quo summopere diligitur, de Iesu Christo familiarum Rege deque harum consecratione egit sapienter et calide, et in fine P. Ioannes Ferreira Fontes qui audientes iam diuturna sessione fatigatos excitavit et erexit, atque fervida oratione felicissimum huic Congressui finem fecit. Cum unus e Nostris dicere coepit, clamavit subito aliquis e platea: vivant Iesuitae!; valentissime acclamatum est. Maior fuit Nostrorum in particularibus sessionibus labor et efficacitas, ut cum in Adoratione Nocturna P. I. Bernardus Gonçalves meditationem primo die explicuit, cum in triduo vesperi celebrato contionatus est P. Aloisius G. Cabral, nuper ex Brasilia regressus, cum P. Marianus Pinho ad sacerdotes de Hora Sancta verba fecit; qui etiam superiore anno Cruciatam puerorum instituerat et iam ad hunc Congressum communionem et pompam 2000 puerorum parare potuit. Praeterea P. Sebastianus Pinto, Director Nuntii S. Cordis Iesu, habuit privatos coetus cum directoribus dioecesanis de centris instituendis fovendisque, magno sine dubio fructu.

Ita evenit ut Congressus, quamquam alias etiam attigit res,

ut Actionem Catholicam, fuit tamen maxime Apostolatus Orationis proprius, praesertim cum verum sit et cum plausu Praelatorum fuerit a quodam contionatore proclamatum: « multas habemus confraternitates, multas pias uniones, multas congregationes habemus, sed nimis saepe ossa sunt sine vita in musaeo posita; Apostolatus Orationis oxygenium est quod vita donat omnia nostra opera paroecialia ».

3,000 sunt centra Apostolatus in Portugalia; anno superiore 900 numeris aucta est subscriptio Nuntii SS. Cordis; Cruciata Eucharistica iam 200 centris 1,100 iuvenes habet.

In eadem Lusitania, exeunte iunio 1929 ad Vianna do Castello *Eucharisticus Congressus* celebratus est, in quo maxime de vocationibus sacerdotalibus et religiosis tractabatur. Tres ex Nostris cum laude verba fecerunt. Pater vero Dominicus Mauricio, qui ab Archiepiscopo Bracarensi, praeside, tanquam *Iesuita* praesentatus est, tanta eloquentia et omnium plausu egit de praeiudiciis, quae in Lusitania contra ordines religiosos grassantur, ut omnium sententia palmam tulerit.

Ephemerides omnes, ipsae quoque religioni infensae, uno ore extollunt Patris orationem, eloquentiam ac dicendi vim, cuius doctrinae nemo quidquam opponere posset. Ipse Archiepiscopus Bracarensis eum in sollemni et ultimo conventu acclamavit tanquam Congressus auream clavim.

II. — DE MISSIONE MANGALORENSI
Provinciae Venetae (1).
(1878-1928)

Exeunte anno 1928 magno cum omnium civium concursu, ipsoque Episcopo Mangalorensi RR. DD. Valeriano D' Souza praeeunte, sollemnes gratiarum actiones Mangalore in Indiis Orientalibus Deo actae sunt, ob quinquagesimum anniversarium adventus Patrum Societatis Iesu in illas regiones. Sequenti anno 1929 exeunte, item ritu commemoratum est simile anniversarium conditi ante quinquaginta annos magni illius urbis Collegii S. Aloisii.

Quantopere autem Deus Nostrorum laboribus in illa Missione per hos quinquaginta annos faverit, visum est per summa capita referre, ut grata tantorum beneficiorum memoria etiam in nostris his annalibus servetur (2).

Missionis locus est in paeninsula « Deccan » duas regiones complectens « Kamarà » quae vergit ad meridiem, et « Malabar » quae in septemptrionem spectat: ibi caput est « Mangalore »; hic, « Calicut » urbs est princeps, pone quam, a. 1499, Vasco a Gama appulit. Utraque regio, anno 1925, capita 2.539.315 numerabat, quorum 115.435 catholici, 5.000 protestantes, ceteri « pagani » vel « Mahumetani ». Hi omnes septem linguis, moribus, legibus, institutis inter se differunt; moranturque in zonis torridis.

Missionem Mangalorensem ab a. 1838 ad 1878 cum laude et fructu tenuerunt PP. Carmelitani a S. Teresia. Sed cum operariorum penuria laborarent, linguarum difficultas obstaret, ac in primis protestantium scholae periculum proximum ruinae catholicae iuventuti crearent, ab ipsis Mangalorensibus efflagitata est Societatis opera. Id vero eo intensius S. Sedem rogabant quod a suis maioribus accepissent se a S. Francisco Xaverio eiusque sociis in fide catholica olim institutos. Annuit S. Sedes ut tota Missio Societati concrederetur et A. R. P. Petrus Beckx Prov.

---

(1) Occasione quinquagesimi anni ab illa Missione condita, perbelle editus est Venetiis libellus « *Cinquant'anni a Mangalore* » ex quo multa desumpsimus.

(2) Cfr. etiam « *Memorabilia* » vol. II, 1923, pp. 99-102.

Venetae negotium detulit (1). Haec quamvis exigua, utpote quae tantum 241 capitibus, hisque dispersis, tunc constaret, onus suscepit ac sex sodales misit qui d. 31 dec. 1878 in oram Mangalorensem appulerunt. Nunc post 50 annos, parva Provincia duplum omnino (468) sociorum numerum attigit, ac sodalium Mangalorensium numerus ad 100 omnino excrevit, ex quibus 42 indigenae. Horum in Societatem receptio a. 1883 coepta est, parvo tirocinio — quod primum fuit inter sex nostras Indicas missiones — constituto.

Missionariorum Mangalorensium prima cura fuit iuventutis. Loco elevato et amoeno non longe ab urbe statim erectum est « Collegium S. Aloisii Gonzagae » quod, annis subsequentibus et novis semper molitionibus et numero discipulorum et merito ita crevit, ut catholicorum desideriis abunde satisfecerit ac multos alumnos etiam ex infidelibus ad se attraxerit et titulum Collegii Universitarii primi gradus ex Anglis Magistratibus consequeretur.

Sed dimicandum fuit, primis praesertim annis, cum protestantibus, atque opera operibus contraponenda. Inde originem ducunt Bibliotheca quam « circularem » appellant et officina typographica quae suis multiplicibus editionibus mirum quantum rem catholicam defenderit ac provexerit.

---

(1) Haec Missionis a Carmelitis ad Societatem Iesu translatio divinitus, ut videtur, praevisa et praenuntiata est a Dei Famula Sorore Maria a Iesu Crucifixo, carmelitide Virgine, de qua in decreto introductionis causae beatificationis die 18 maii 1927 lato haec, ad rem nostram quod attinet, expressis verbis leguntur:

« Vicarius Apostolicus Mangalorensis in Indiis, Dominus Maria Ephrem, volens erigere domum Carmeli, consilium suum exposuit sororibus domus Palensis, « quae libenter adhaeserunt et iter aggressae sunt anno 1870 sex sorores, inter « quas M. Elia priorissa et Dei famula Maria Iesu Crucifixi. Dei famula novitia« tum suum explevit et die 21 novembris 1871 solemnem professionem coram prae« dicto Vicario Apostolico emisit summa animi laetitia et pietate. Sed huiusmodi « gaudium paulo post turbatum fuit vexationibus et angoribus. Nam cum ipsa « renuisset superiorissae domus patefacere ecstases et visiones quas experiebatur, « nisi sanctae obedientiae vi fuisset adstricta, ita iubente Deo, ut ipsa asserebat, « quamvis parata esset confessario et Episcopo eas pandere, huiusmodi repulsa male « accepta et Vicario Apostolico renuntiata, in superiorum et sororum despectum « incidit quasi non bono sed malo spiritu ageretur: ideoque pluribus molestiis ve« xata, ad domum Palensem redire coacta est. Ante discessum tamen subitam Vi« carii Apostolici mortem et Missionis translationem ad Societatem Iesu praenun« ciavit: sicut uterque confirmavit eventus ».

(*Acta Apost. Sedis*, vol. XIX, 1927, pag. 256).

Hoc anno quinquagesimo (1928) Collegium 1765 alumnos recenset, ex quibus 965 « Universitarii » titulo illustres. Si vero placet religiosas vocationes enumerare, hae eodem tempore fuerunt ad varios Ordines religiosos 11; ad Societatem nostram 38; ad clerum secularem 225: universae ergo 274.

Quod si de scholis etiam inferioribus sermo sit, ipsae, institutae quoque in ora Malabarica a. 1883, erant 28; pueri vero 1313, puellae 753: iam a. 1923, 85 factae sunt; pueri 6071, puellae 3915.

Sed maius studium, ut par erat, sibi vindicavit erectio et constitutio novi Seminarii. Anno 1879, in parvam casam seu potius tugurium ex praecedenti Seminario convenerunt novem alumni.

Humili vero et laborioso principio, ut assolet Deus arrisit: mox crevere alumni, crevere aedes, disciplina, spiritus, doctrina viguit, cum operi instarent praepositi et professores virtute et scientia excellentes.

Formandi sunt sacerdotes tales qui simul Missionarii quoque evadant perfecti. Nuper etiam (1927) aedificium ampliatum est, iamque clericos continet ex 16 Indiae dioecesibus: sunt etiam 9 clerici Tertii Ordinis Carmelitarum Excalceatorum qui ritum Syrum-Malabaricum profitentur. Itaque, ineunte hoc anno 1928, universi Seminarii discipuli 129 recensebantur. Cernitur in omnibus S. Iosephi patrocinium cuius numine et nomine Seminarium insignitur.

Quantum conferant ad vitam Christianam vel instituendam vel renovandam vel fovendam Congregationes Marianae nemo est qui ignoret. Iam a Missionis primordiis de his condendis cura fuit: nunc florent Congregationes virorum ac mulierum cum suis caritatis sectionibus iuxta R. P. Wernz praescripta et consilia. Iuniores et seniores Collegii suam Congregationem habent, ex quibus « Conferentiae S. Vincentii a Paulo » in Congregationem virorum externam manarunt.

Verum inter opera caritatis duo instituta eminent quae peculiari mentione digna sunt.

Primum est « Caritatis Institutum Müller » quod nosocomiorum regionem dixeris. In summo ac salubri urbis colle quinque sunt nosocomia cum suis hortis et viridariis ac aedificiis accessoriis quae ad religionem, administrationem, et omnem opem

proximo laboranti conferendam, spectant. P. Augustus Müller (1840-1910) tanti operis — ut nomen revelat — fundator, a nosocomio leprosorum — quod est undecimum ex his quae Societas administrat — initium fecit. De reliquis satis fuerit innuere « Chimico-pharmaceuticum Laboratorium » quod per totam Indiam — a Ceylon ad Birmaniam — medicinas mittit ac quotidianis 80 vel 90 petitionibus per publicos cursores satisfacit. Anno 1923, Societas cum alia opera novae Mangalorensi dioecesi cederet, nosocomium tamen leprosorum retinere cupiebat.

Alterum est « Institutum S. Iosephi » seu Catechumenatus. Eodem anno 1879, P. Augustus Diamanti (1848-1919) hoc opus incepit. Exinde ad annum usque praesentem (1929) 7102 capita, gens sine tecto, sine pane, vel egentes, calamitosi, omni ope destituti, reiecti, hic animae corporisque sanitatem invenerunt. Primus locus, ut par est, datur semper orphanis qui grandiores facti, matrimonia iungunt, atque ita ab hospite loco saepe non recedentes, familiis constitutis, coloniam fecerunt eo fere modo quo legitur de antiquis coloniis in Paraquaria. Praeter tractum agrorum, vicum cerneres cum suis casis et officinis in quibus octo artes exercent, unde sibi suisque provideant. Paroeciam formant, felices vivunt, utpote qui ex calamitate sua Deum invenerint!

Artium etiam ac litterarum cultus per nostros Missionarios invectus est. Collegium, Seminarium, Cathedralis aedes sunt prima et classica urbis aedificia quae — praeter alia — ostendunt quantum architectura valerent PP. Augustus Diamanti et Henricus Buzzoni. Per 7 annos picturam exercuit clarus Fr. Antonius Moscheni ad hoc vocatus ex Italia. Hic pinxit etiam Cathedrales aedes Bombayensem et Cocinensem: obiit in regno Travancor. Nec tantum exercuit ipse, sed et picturae, et sculpturae et plasticae scholas instituit quae nunc in « Asylo » magistris et operibus florent.

Ad litterarum vero cultum nihil magis contulit quam typographaeum a Fr. Aloisio Domeda institutum. Mirum quantum religioni vel defendendae vel propagandae profuit: nunc 8 magnis machinis provisum, tribus periodicis et libris sex linguis edendis laboriosam ac frugiferam operam dat. Excudit grammaticam et lexicon linguae popularis « konkani », quae composuerat P. Angelus Maffei. Hic sex linguas indigenas didicit, aliosque

omnes eo studio antecessit; vir doctrina et virtute insignis, obiit missionarius inter silvicolas (1844-1899).

Sancta Sedes cum nostros in hanc Missionem mitteret, prius iuventutis institutionem in Collegio et Seminario commendarat, mox succederet paganorum conversio. Quapropter primis 20 annis primo operi praecipuae curae impensae. Quae res hoc testimonium a RR. DD. Ladislao Zaleski Indiarum Delegato Apostolico (1893) promeruit: « Missionem Mangalorensem actis suis et institutionibus secundum cor Summi Pontificis se praebere ».

Missio igitur recta inter paganos, novo ineunte saeculo fere coepta est. Primam stationem aperuit P. Angelus Maffei qui tanto operi mensem Exercitiorum praemiserat: sed eheu! vix campum ingressus repentino morbo ereptus est (31 maii 1899). Aliam stationem fundavit P. Dionysius Coelho indigena, tanto successu ut iam ibi nova paroecia constituta sit. P. Faustinus Corti viros potiores a quibus « pariah » dependent, vera religione imbuere aggressus est, sed comperit non nobiles, non divites vocari sed miseros ac pauperes: igitur illis relictis, ad hos se convertit, quorum 6500 ad Christum adduxit. Apostolicae huius viri virtutes et indefessi labores ampliorem sane mererentur narrationem: post multos annos inter carissimos suos « pariah », qui eum apostolum suum iure salutant, in maxima paupertate transactos, obiit die 9 octobris 1926.

Verum infima regionis et miserrima hominum classis sunt qui « korgar » vocantur, gens nomas, horrida, silvicola. Hi P. Alexandrum Camisa apostolum suum nacti sunt. Hic familias ordinavit, coloniam constituit, laborem docuit et est eis ex caritate Christi pater, tutor ac provisor in omnibus.

Sed quoniam longum est singula Missionariorum ac Stationum nomina persequi, satis sit numerum harum referre: hae sunt 20 ex quibus 16 a nostris constitutae, 4 a clero saeculari, suntque sparsae ad meridiem in Canarà, ad septemptrionem in Malabar, iuxta territorii divisionem quam initio diximus.

Debitum grati animi quo Missio Sororibus devincitur eiusmodi est ut numquam pro merito solvere contingat. « Carmelum antiquum » pro vita contemplativa, « Carmelum novum seu Apostolicum » cum suis Collegiis, « Sorores a B. Bartholomaea Capitanio » cum suis institutis, tanta pro religione praestiterunt ac praestant ut omnem humanam laudem superent.



MANGALORE: Ecclesia et Seminarium.



MANGALORE: Collegium Universitarium S. Aloisii.



Imago coronata B. M. V. in Neapolitana Domo Probationis.

Quod erat igitur in votis ab ipsis Missionis initiis, quod erat consilium iam tum et Sanctae Sedis et nostrorum Patrum, Deo favente, anno 1923 perfectum est. Mens siquidem iam pridem fuerat dioecesim indigenam praeparare quae sibi sufficeret et rei christianae provehendae — suis ipsa non aliunde advocatis viribus — operam daret. Porro, illo anno 1923, cessionem dioecesis Mangalorensis ad clerum indigenam, et erectionem novae dioecesis Calicutensis documenta Pontificia decreverant (1). Eorum tamen exsecutio integra tantisper dilata fuisse dici potest (quamquam iam tum administratio dioecesium divisa esse coepta est), donec anno 1926 primus Mangalorensis Epicopus e clero indigena renuntiatus est RR. DD. Valerianus D'Souza, in novam Calicutensem dioecesim recedente priore Mangalorensium Episcopo RR. DD. Paulo Perini S. I. Tunc etiam nostra Missio, deposito nomine Mangalorensi, a nova Superioris sede Calicutensis nuncupari coepit.

Quae omnia cum clerus tum populus Malabaricae regionis grato animo recolentes, nihil mirum quod voluerint festivis celebrationibus quinquagesimum commemorare anniversarium faustissimi Societatis Iesu in illas terras adventus seu potius reditus. Die 31 decembris 1928 in omnibus Mangalorensibus ecclesiis, iubente Episcopo, sollemnes gratiae Deo sunt actae. Iuvenes nostrarum scholarum alumni scaenicis actionibus perbelle imitati sunt cum assignationem illius Missionis a Summo Pontifice Leone XIII Societati Iesu factam, tum Patrum profectionem Venetiis Indias versus, tum eorum ante 50 annos Mangalorem adventum et festivam exceptionem.

E primis illis Missionariis unus erat superstes Fr. Coad. Franciscus Zamboni cui idcirco maxime omnium gratulationes deferebantur. Eas autem optimus Frater amplissime merebatur, non modo ob longam illam in Indiis commorationem utilemque operam in bonum Missionis praestitam, sed etiam ob religiosi viri virtutes haud ordinarias. Quanta vero apud omnes aestimatione gauderet, non ita post rursus compertum est, cum pie vita functo (14 iul. 1929) tota fere civitas parentare voluit.

Post annum, medio mense ianuario 1930, civitas Mangalorensis iterum festivis conventibus resonuit; decebat enim ut

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1927, pag. 585.

Collegium S. Aloisii peculiarem quinquagenariae suae vitae commemorationem ageret, idque plurimi cives olim illius Collegii alumni promoverunt, erga Patres atque etiam erga Societatem Iesu universam gratissimum animum exhibentes. Cuius signum Romam mittere voluerunt; nam Summo Pontifici ac Patri Nostro pulcherrimas litteras scite depictas et pretiosis eburneis capsulis inclusas offerendas curarunt, missis etiam tribus iuvenibus Mangalorensibus, Archibaldo Lobo, Camillo Lobo et Georgio Mathias, qui totius Collegii eiusque omnium alumnorum obsequium Beatissimo Patri et Praeposito Generali Societatis exhiberent.

III. — DOMUS EXAETENSIS PROV. GERM. INF. (1872-1927)

Die 15 Augusti 1927 domus Exaetensis, praesertim nostris scriptoribus nota, Ordini Fratrum Minorum tradita est. Placet igitur brevem historiam huius domus inde missam hic inserere: P. Mauritius Meschler in periodico Provinciae, quod « Mitteilungen » vocatur, originem huius domus et progressum suo amoeno ingenio lepide descripsit (1). Sollemnitas vero, qua nostra domus Exaetensis novis incolis est tradita, item in eodem periodico illustrata est (2).

Singularis quaedam Providentia divina profugos Germaniae Novitios Societatis Iesu in pagum deduxit Exaetensem. Est autem Exaeten praedium quoddam circiter sexto kilometro occidentem versus ab oppido Ruraemunda, proximum vico, qui dicitur Baexem (Baaksem). Quo in fundo vetus castellum duabus turribus munitum exsistebat cum variis aediculis adiacentibus derelictis ac fere ruinosis. Proprietarius huius possessionis fuit Comes Theodorus de Geloes, cuius uxor fuerat filia ultimi Equitis de Pollart. Quae familia nobilis de Pollart per quattuor fere saecula praedium hoc Exaetense obtinuerat. Iuvat adnotare unum ex hac familia, Marcellum de Pollart, 87 annos natum post 54

(1) *Mitteilungen aus der deutschen Provinz,* Band 6, S. 1-12.

(2) *Mitteilungen aus den deutschen Provinzen,* Band 11, S. 100-103.

annos in Societate Iesu religiosissime peractos, Graecii die 7 Augusti 1637 pie in Domino obiisse atque exstare necrologium de eo valde honorificum (1).

Audiamus igitur, quid nobis ipse P. Meschler de initiis Domus Exaetensis rettulerit. Cum esset Magister Novitiorum et Rector Domus Gorheimensis prope Sigmaringa, invitatus est ad Exercitia viris in nostra Ecclesia Aquisgranensi B. M. V. tradenda, quod revera praestitit. Paulo vero post ipse, Rector Novitiatus Monasteriensis simulque Magister Novitiorum creatus, statim novum onus suscepit mense martio anni 1872. Eodem tempore funesta conspiratio omnium Ecclesiae catholicae inimicorum effecit, ut maior pars deputatorum novi Regni Germanici exsilium Iesuitarum posceret, sublatis eorundem Domiciliis. Quae lex iniqua populoque catholico odiosissima iam die 5 Iulii 1872 a Concilio Foederato approbata, immo etiam in severiorem partem redacta, publici iuris facta est. Optimus ille vir Windthorst, catholicorum deputatorum dux, illo tempore Monasterii degens, Patrem Meschler blande consolatus est dicens: « Maneatis, inquit, in nostra vicinitate, nam mox redibitis ».

Interim Nostris Monasteriensibus ex parte Gubernii significatum est die 1 Decembris 1872 domum esse relinquendam. Quare P. Meschler Patri Nix curam requirendi refugii demandavit. Qui cum Ruraemundae audivisset domum supra dictam Exaetensem exstare desertam, litteras ad Dominum Comitem Theodorum de Geloes in Galliam (Lauvernac, Bretagne) dedit, expetens locum istum pro Germanis profugis sociis, qui non modo id libenter praestitit, sed et gratias Deo egit, quod sibi liceret hoc beneficium persecutionem patientibus conferre. Non mirum, quod Deus tali viro benedixerit. Nam duae filiae eius Moniales factae sunt et filius unus ingressus est Societatem Iesu, qui a multis iam annis missionarius est in Sinis.

Mense igitur novembri 1872 Novitii Monasterienses, et sequenti Gorheimenses, novam sedem Exaetensem occupaverunt. Qui e Gorheim venerant, thesaurum magnum secum asportaverunt: partem non exiguam capitis S. Stanislai Kostka, cuius historia breviter recensenda est. P. Claudius Aquaviva caput S. Stanislai Cracoviam miserat, quod ibi divisum est. Altera pars Cra-

(1) *Annuae litterae Austr.* 1637 - Austr. 137, 37.

coviae remansit, altera a quadam Principessa Polona occasione matrimonii cum Duce Cleve-Bergensi Manhemium (Mannheim) translata est, ubi usque ad saecularizationem bonorum Ecclesiasticorum sub Comite Montgelas peractam, asservabatur. Nobilis quaedam foemina reliquias theca pretiosa orbatas conservabat, quae deinde post eius mortem ad quendam Cappellanum transierunt, qui easdem tandem familiae nobili Helmstädt dono dedit. Haec vero thesaurum tantum Novitiatui Goheimensi restituit, qui nunc in Domo Probationis Feldkirchensi conservatur.

Praeter Novitiatum utriusque partis Provinciae, etiam scriptores operariosque asylum Exaetense recepit. Quare alia domus in vico Baexem sita locanda fuit. Paulatim etiam variae fabricae iuxta temporum necessitates aedificabantur. Ita anno 1880 et 1881 singulae alae constructae sunt, item altera aedificatio cum ecclesia satis pulchra anno 1885. Iam anno 1882 totum praedium emptum fuerat.

Domus Exaetensis pluribus usibus currente tempore serviebat. Fuit quater Novitiatus: 1) annis 1872-1884; 2) 1903-1910 post incendium Blyenbeckense; 3) 1910-1911 pro Novitiis Lusitanis; 4) 1924-1926 pro Novitiis partis orientalis Germaniae. Bis fuit Tertiatus: 1) 1874-1876, quo tempore R. P. Wernz tertiam probationem Instructore P. Meschler peregit; 2) 1910-1927 (1910-11 Lusitani quoque hic tertiam probationem instituebant). Philosaphatus semel: 1884-1894. Iunioratus semel: 1894-1908. Collegium Scriptorum (PP. Schneemann, Baumgartner, Wasmann, Epping, Dressel, etc.) annis 1872-1899. Curia P. Provincialis 1885-1919.

Magistratus tam ecclesiasticus quam saecularis Nostris Exaetensibus semper propitius fuit. Imprimis vero bene affectus erga Nostros fuit ille magnanimus senex Episcopus Ruraemundensis Paredis, qui ultro Patri Meschler professus est prope factum fuisse, ut ipse, cappellanus cum esset, Societatem Iesum ingrederetur. Summus vero Magistratus Provinciae Limburgicae domum Exaetensem pluries conveniens Nostros valde laudavit eosque adhortatus est, ut pergerent tam bene de patria mereri.

Tandem medio in strepitu belli mundialis lex iniqua contra Societatem Iesu olim lata, die 19 aprilis 1917 abrogata est. Quare Collegia extra fines patriae sita paullatim vendenda videbantur. Opportuna occasio relinquendae quoque Domus Exaetensis ultro tandem se obtulit, cum Franciscani Provinciae Saxoniae S. Crucis

aedificium praediumque exoptarent scholae apostolicae erigendae aptum. Die igitur 23 martii 1927 R. P. Fr. Raymundus Dreiling, Praepositus Provinciae Sanctae Crucis Saxoniae, de emptione domus Exaetensis serio agere coepit, quae deinde die 29 iunii eiusdem anni feliciter ad utriusque partis satisfactionem conclusa est.

Die festo Mariae Assumptae 15 Augusti 1927 domus sollemni ritu Franciscanis tradita est. Ultimus Rector Societatis Iesu domus Exaetensis, assistentibus duobus Franciscanis, missam coram utraque communitate sollemni ritu cantavit, post meridiem vero P. Fr. Eugenius O. F. M. benedictionem eucharisticam celebravit assistentibus duobus e nostris Patribus.

Iam tunc Collegium S. Canisii esse desiit, S. Bonaventurae esse incepit. Iuvat addere quasdam sententias seu vota inscripta hac die sollemni in libro hospitibus destinato:

« Plurimum vos salvere iubeo, filii S. Francisci! » (Herzlich willkommen, Söhne des hl. Franz!) : P. Bley S. I., Praep. Prov. Germ. Inf.

« Ex intimo corde Pax et Bonum abeuntibus filiis S. Ignatii! Ex intimo corde Pax et Bonum novo seraphico Collegio S. Bonaventurae »: Fr. Raymundus Dreiling O. F. M., Prov. Cruc. Sax.

« Deus meus et omnia » : P. Weingärtner S. I., Rektor des Canisiuskollegs.

« Omnia ad maiorem Dei gloriam! »: P. Eugen Schatten O. F. M., Rektor des Kollegs St. Bonaventura.

« In mutua caritate et fraternitate »: P. Ansgar Holtschneider S. I., Soc. Prov.

« Regina Societatis Iesu et Ordinis Fratrum Minorum, ora pro nobis! »: P. Anacletus Bogsitter O. F. M., Def. Prov. Sax.

« Voluntas Dei, Crux Christi, SS. Sacramentum sint semper nobis tria carissima. In memoriam servi Dei Guil. Eberschweiler S. I., qui in hac domo per viginti septem annos sancte vixit » : P. Walter Sierp S. I., Instructor tertiae probationis.

IV. — DE IMAGINE B. M. V. in DOMO PROBATIONIS Provinciae Neapolitanae *aurea corona sollemniter redimita.* (23 maii 1929).

Deiparae, « Matris Auxiliatricis » appellatione, imago quae in sacello Tirocinii Prov. Neapolitanae S. I. pie colitur, pictura est ex oleo in tabula lignea. Virginem refert integram stantem, quae dextera Infantulum, decenter vestitum, sustinet; sinistra leniter Eiusdem alterum pedem parvulum attrectat, dum alter Matris brachium suffugit. Materni oris aspectus iuvenilis admodum, virgineus et attentus: pudica facies aliquantulum ad Filium inclinata, qui suam quoque ad maternam admovet: utriusque oculi in clientem qui oret videntur defixi, quasi de eo inter se os ad os intime agant.

Puellus sinistra amictus materni oram arripit: dextra elevata est et aperta. Iuxta, duo Sancti Ioannes, recti, stantes: hinc Baptista, solitum gestans baculum, divinum Puerum tenso digito monstrat; inde Evangelista sacrum volumen gerens, consuetum calicem cum anguibus levat: uterque oculis versis et capite, spectantem videntur ad Iesum ac Mariam allicere atque invitare. Omnes ergo eximiae tabulae figurae in deprecantem sunt intentae ac propensae et mirum fiduciae sensum inducunt. Operis auctor est ignotus; nullus tamen non affirmabit artem non communem spirare et intimam ciere pietatem.

Simulacrum quinque abhinc saecula fertur elaboratum: documentis certum est anno 1558 fuisse Surrenti in templo S. Petri Martyris apud Patres S. Dominici: ibi sincera et assidua religione, propter quotidiana beneficia, a populo Surrentino colebatur.

Accidit autem ut, die 15 iunii eius anni, Turcae urbem invaderent, templum S. Petri diriperent ac sacrilego ausu imaginem pugionis ictibus (vestigia adhuc remanent) violarent. At miles christianus tabulam recuperavit ac PP. Dominicanis restituit, qui refectam non iam in aede S. Petri sed S. Vincentii Ferrerii, cultui denuo proposuerunt. Imago a populo, maioris gustus et venerationis causa, exinde « Auxilium Christianorum » salutata est.

Longis interiectis vicissitudinibus, anno 1834, S. Vincentii Ferrerii templum cum proximis aedibus in Societatis potestatem venit, quae eodem tirocinium transtulit. Tirones magna in « Auxilium Christianorum » pietate affecti, quae est filiorum audacia, nomen in « Mater Auxiliatrix » (quo etiamnum gaudet) levi ac licita inversione commutarunt. — Cultus crevit: pulcherrima ara marmorea exstructa est: Rosarii recitatio quotidiana: singulis Sabbatis oratiuncula Mariana ab aliquo Scholastico. Hinc in Surrentinis magna devotio; recursus frequens; festus dies celeber aeque ac sollemnis. Patrum vero et Novitiorum affectus ita exarsit ut haec imago totius Provinciae spiritualis thesaurus fieret. In eius conspectu vitam religiosam auspicati sunt ac porro Deo se devoverunt viri doctrina et sanctitate insignes, quales PP. Carolus Rossi, Franciscus Berardinelli, Ferdinandus Canger, Nicolaus Valente, Georgius Melecrinis, Ianuarius Degni, Nicasius Mola, Salvator Brandi, aliique.

Cum Societati, calamitoso anno 1848, Sorrento abeundum fuit, gravissima Tironibus accidit absentia Matris. Cogitatio subiit de exemplari faciendo, quod, ductu P. Francisci Venditti, sine simulacro, pro eius parte superiore praestitit pictor Bonolis.

Parva tabula similis evasit atque Tironum pietati satis fecit. Ea, postquam prima recuperata est, Collegio Pontano insedit ac ipsum in variis eius domiciliis secuta est; hodieque in aedibus « Cariati » ipsam custodit.

Interea, primum simulacrum, utpote antiquum, pretiosum et artis opus agnitum, ab aede Surrentina in artis Musaeum Neapolim traiecit. Rem deploravit P. Capriglione, cuius rei documentum cum post sex annos in manus P. Stella incidisset, ea causa fuit ut hic sollerter ac diligentissime in thesauri indagationem totum se daret. Et feliciter omnino, nam mox repertus et probatus Archiepiscopo Surrentino traditus est, qui, post paucos menses, eum Patribus Societatis remisit.

Festum pro recuperato thesauro multo nobilius fuit quam antea. Mense martio 1890 « Mater Auxiliatrix » ingressum triumphalem agebat in Villam « Melecrinis » quo tirones iam commigrarant. Eam excepit P. Caietanus Mascalchi qui ante annos 50 coram ipsa prima vota emiserat. Illico specimen maternae tutelae perhibuit. Nam cum in festi pervigilio, in aula quadam Scholastici academiam pararent, improviso terribile fulmen domum

traiecit ipsamque aulam penetravit; sed mirum! nullus laesus est. Gaudia porro acta sunt nova et insolita, clarissimis utriusque cleri viris, cum Archiepiscopo Surrentino, amicis et devotis intervenientibus.

Quotannis, die 24 maii, « Matris Auxiliatricis » sollemne laetis animis renovatur.

Cum bellum flagravit, cum arsit, cum deferbuit, haec Species solamen afflictis, morientibus patrocinium, redeuntibus corona exstitit. Non pauci numismata « ex merito » ante eam suspenderunt et suspendunt. Sed et P. Provinc. Antonius De Francesco, post luctuosissima illa tempora, votum soluturus, Provinciam universam ad Matrem Auxiliatricem congregavit ut gratias ageret atque haberet.

Itaque venerabilis imago, Patrum, Scholasticorum, Tironum totius Provinciae animos sibi conciliavit ac beneficiis demeruit et omnium sive praesentium sive absentium voluntates sibi devinxit, utpote quae vitae religiosae primordiis ac spiritualibus primitiis, ac demum votis uniuscuiusque arriserit. Tantum restabat ut bona Mater ab obsequentibus filiis digna corona, tanquam grati animi signo, honestaretur.

De gratia oratus est, ut solet, Ordo Capituli Vaticani a R. P. Iaphet Jollain: preces Em. Card. Ascalesi Archiep. Neapolitanus suffulsit. Et mox eidem Emmo. potestas facta est sollemnis caerimoniae perficiendae.

Quare, die 23 maii 1929, in annuae sollemnitatis pervigilio, magno apparatu ad ritum deventum est. Pompa per domum deducta, in aula magna tirocinii, omnium oculis animisque in spectaculum raptis, aureas coronas, quibus Summus ipse Pontifex benedixerat, Filii Matrisque capitibus idem Eminentissimus Cardinalis Neapolitanus imposuit. Aderant etiam RR. DD. Iacuzio Archiep. Surrentinus et R. P. Antonius Stravino a Patre Nostro delegatus.

Eo die ac sequenti secuti sunt actus religiosi praeclari, conventus academici, communicationes, cantus, precationes, vota; quae omnia digna tanti festi complementa exstiterunt.

Iam liceat in fine id apprecari: quemadmodum « antiquam Imaginem (verba sunt Decreti Vaticani) B. V. Mariae... sub titulo Matris Auxiliatricis uti caelestem Novitiorum patronam ha-

beri, ac ardenti devotione et summa veneratione impense iugiterque coli tam felici exitu, Ipsa opitulante, datum est; sic in posterum ut tantum studium semper ferveat, immo succendat omnes unice A. M. D. G. optandum et augurandum remanet ».

V. — SUMMI PONTIFICI IUBILEI RELIQUIAE.

Non est facile brevi recensione perhibere quae Nostri toto orbe terrarum disseminati perfecere ad sacrum Iubileum Summi Pontificis celebrandum. Sunt ea satis multa quae in praecedentibus « Memorabilium » numeris sunt aut exposita aut insinuata, sed copiosiora sunt profecto quae restant, cum vix sit Ephemeris a Nostris directa, quae plures articulos aut singularem numerum huic magno festo non dedicaverit, vix Collegium quod sollemnitatem aliquam litterariam et liturgicam non in eius honorem fecerit, et fortasse nulla a nobis recta Congregatio aut pia Sodalitas quae precibus, eleemosynis, peregrinationibus, festis diversis non tam faustum annum celebrandum curaverit. Sic ut

Aliqua tantum nomina seligamus,

Collegium NN. Maximum Valkenburgense (Prov. Germ. Inf.) Academiam polyglottam die 11 martii 1929 instituit. Adfuit Internuntius Ap. in Neerlandia RR. DD. Laurentius Schioppa qui lingua italica, quae fuerat omissa, recitantes laude prosecutus est. In Collegio NN. Maximo Lovaniensi (Prov. Belg.), Theologorum Academia gallica in honorem Pontificis sollemnem conventum egit die 21 martii 1929. In Collegio NN. Maximo Ysletensi (Prov. Mexic.) Rhetorici « Pontificis ac Regis » laudes celebrarunt die 11 iunii 1929. Universitas Pontificia Comillensis ac Seminarium nostrorum (Prov. Legion.), non una sed duplici sollemni actione iubilaeum Pontificium prosecuta sunt, diebus 27 ianuarii et 12 februarii. « Pontifex archaeologus (« Catacumbae »), bibliophilus, diplomaticus, apostolicus », mire enituit: vel in ipsa programmatis charta ars elucebat.

Florentissima est institutio catechistica quam Nostri Compostellae (Prov. Legion.) dirigunt. Singulis diebus festis, anno 1929, ex omni urbe 800 pueri conveniebant. Maio mense festivitas Summi Pontificis celebrata est, quattuor millibus puerorum confluentibus. Ritus sacer, Archiepiscopo litante, in magna platea ante cathedralem aedem peractus est: vespere autem omnes hi pueri, ab Archiepiscopo et urbis Praefecto comitati, magnificam pompam per urbem deduxerunt.

Etiam Pontificium Collegium Scodrense et Institutum S. Francisci Xaverii (Prov. Ven.) in Albania ritu sacro sollemni ac litterario, populique concursu, festa egit Pontificia. Archiepiscopus RR. DD. Lazarus Miedja ac Delegatus Apostolicus RR. DD. Ioannes B. Della Pietra S. I. una primas egerunt. In Academia et dramate « Attila coram S. Leone Magno » conspiciebantur clerus et Episcopi et Religiosi, viri consulares exterarum nationum, civiles urbis praefecti ac primores quique scodrenses.

Collegium Amstelodamense (Prov. Neerl.) die 29 iunii, S. Petrum in suo Vicario honoravit. Ad huius mentem 400 alumni cum Professoribus S. Synaxim cum multo populo celebrarunt, sacris operante Nuntio Ap. RR. DD. Schioppa, qui etiam post meridiem academiae musico-litterariae ac ludis gymnicis praefuit.

In Residentia S. Teclae (Rep. S. Salv. - Prov. Mex.) invitati sunt fideles ad Sacramenta pro Pontifice mensium novem primis (apr.-dec. 1929) feriis sextis, suscipienda. Res adeo placuit ut iam synaxes supra millia statim evaderent. In urbe S. Stephani (St. Étienne), ductore P. Ledroit (Prov. Lugd.), iuventus catholica Ligeris (Loire) regionis, pontificium festum egit. Quingenti mane conventum sacrum ad Pontificis mentem fecerunt, octingenti vespere conventum academicum. Gratiosum et iucundissimum accidit S. Patri munus a P. Iosepho Bok (Prov. Pol. Min.) in tota Polonia Cruciatae Eucharisticae directore oblatum. Collegit hic a suis pueris vel puellis 2000 autographorum epistoliorum ac novem pulcris voluminibus collecta ac religata S. P. dono misit. « L'Osservatore Romano » amplissimis verbis singulare munus laudavit: excerpta quaedam suaviora lectoribus obtulit, nec ea Summo Pontifici minus cara quam principum rerumque publicarum praesidium litteras fuisse est testatus.

Nova quadam ratione Georgiopolitana Universitas, Neo-Eboraci, mense ianuario 1930, eadem festa prosecuta est. Haec

cum Iubilaeo solutionem quaestionis Romanae coniunxit. Propterea sollemnem domi « acceptionem » instituit, ad quam simul cum RR. DD. Petro Fumasoni Biondi Delegato Apostolico, Excell. quoque nobilem virum Iacobum de Martino, Italiae legatum invitavit. Aderant, praeter utriusque viri familiam, Universitatis coetus Academicus, Coetus diplomaticus Washingtonensis, utriusque Gubernationis Aulae membra, ac Optimates quique Washingtonenses. Omnes allocutus est R. P. Rector Gulielmus C. Nevils. Responderunt Delegatus Apostolicus ac Legatus italus; tam huic collata est « honoris causa » laurea in iure; illi tradita gratulationis inscriptio, quam Summo Pontifici humanissime deferendam curaret.

Patres vero Professores et Iuniores Domus Probationis Poughkeepsiensis (eiusd. Prov.) Iubileum celebraverunt sollemnissima quadam academia, qua, ut referebat « Osservatore Romano » iesuitae Pindarum et Homerum ad obsequendum Romano Pontifici evocaverunt.

Prima enim Academiae pars versata est in cantu graeco primae Pythicae Odae ex Pindaro; cuius musica nomen P. Athanasii Kircher in memoriam revocat et renovata fuit a peritissimo eius artis viro Doctore Alberto Gulielmo Thierfelder ex Universitate Rostockiensi.

Hac prima parte feliciter absoluta, secuta est proprie « Actio Homerica » seu Disputatio de Homero; disseruit Fr. Philippus O' Neill de Iliade et Odyssea specimina interpretationis praebens, adiecta analysi critica, historica, artistica.

Tum, petitis plerumque ab Aristotele vel eius coaevis difficultatibus, tres alii Scholastici sub triplici illo respectu arguerunt. Primus fuit Fr. Iacobus Conway qui dubia proposuit de unitate interna et externa Homerici poemati, et exemplis illustravit; alter fuit Fr. Ioannes Horrigan qui de merito critico, litterario, historico in Odyssea discussit et investigavit; tertius Fr. Ioannes Mc Keaney de Achilleo charactere, veluti epicae typo animadversiones intulit et percensuit. Nec quaestionibus pepercerunt ceteri invitati, in primis linguarum classicarum professores, quibus omnibus abunde satisfecit Frater ita, ut communi plausu « Homeri defensor » salutatus sit.

Successit tertia pars in qua alumnorum chorus hymnum ad Apollinem Delphicum egregie cecinit. Haec poesis marmoreis ta-

bulis in templo Delphico a. 278 a. C. n. scripta, cum periisset, a. 1893 reperta, et a. 1898 edita est a memorato Prof. Thierfelder. Authenticitate et perfectione quidquid eiusmodi ex Graecia antiqua possidemus carmini huic cedit: rythmus omnino singularis; numerus longe distans a nostris temporibus: verum fascinatio et melos et modulatio ampliora ac veriora sunt quam in carmine pindarico: ex quibus progressus in musica arte exprimenda — per duo saecula quae intercesserunt — fit manifestus.

Tandem classico et benemerentissimo Consessui finis impositus est hymno patrio (S. U. A.) cantato, eo quidem in antiquum graecum sermonem ab uno e Nostris converso.

Obsequia ac dona.

Dona vero, et obsequia quae per Nostrorum diligentiam a christifidelibus communi omnium Patri sunt missa, quis nunc summatim referat? Parcant nostri lectores si unius tantum alteriusve mentionem facimus, relictis aliis Deo omnium remuneratori.

Die 29 ianuarii 1930 admissus in privatam audientiam est Delegatus Generalis *Apostolatus Orationis*, P. Gulielmus Kea cum Fr. Iosepho Morant, amanuensi dactylographo, ut Suae Sanctitati, deferret munuscula quae Apostolatus Orationis Deo et Summo Pontifici ubique terrarum obtulerat: Apostolatus tamen Orationis in Italia peculiare suum munus et obsequium praestiterat mense septembri anni superioris (1929).

Benignissime eos excepit S. Pater, et libri Thesauri Spiritualis speciosam formam vehementer admirans, dixit illud esse vere grande volumen quasi unum ex illis codicibus mediaevalibus, plane magnificum atque affabre factum. Librum sedulo pervolutans singulasque membranas decoratas perscrutans, laudibus haud exiguis extulit et folia perbelle depicta et numeros ingentes operum pietatis ad suam intentionem peractorum: « toties millies mille Missas... toties millies mille Communiones... toties millies mille sacrificia... ! Summa summarum: millies ducenties vicies sexies mille bona opera...! At est stupendum quid. Res vere mirabilis oculis Nostris ».

Adspiciens complures membranas ab associatis Apostolatus Orationis ex Australia et Belgio datas, Summus Pontifex inti-

mum de hoc zelo gaudium expressis verbis manifestavit. Cum totum librum aliasque pagellas separatas pervolutaverat, maximopere omnia laudavit, tum ob eximiam exercitiorum spiritualium multitudinem, cum ob elegantem ac splendidam totius libri singularumque membranarum compositionem.

Dein Summo Pontifici oblatum est illud lepidum involucrum, ex pelle alba confectum, quo variae continebantur epistulae, quibus Directores complurium Secretariatuum Nationalium gratissimi animi sensus expresserant propter Litteras Encyclicas « Miserentissimus Redemptor ». Quas etiam singulas Sanctus Pater particulari studio perlegit, continuo verba aestimationis et nonnumquam iocosa interserens, quae revera monstrabant, quantopere omnia Sibi placerent. Ut quaedam exempla afferantur, legens epistolam vasconicam, Sanctus Pater dixit linguam vasconicam esse ex antiquissimis Europae linguis atque ab aliis omnino diversam sicut et linguam lithuanicam; contemplatus aliam epistulam, illum Patrem videri virum valde doctum... (quia non scripserat neque diem neque locum); epistolam e regione Togo perlustrans, rettulit Sanctus Pater nuper ab auctore Italico editum esse librum cui titulus: « Togo », in quo illius regionis explorationes hucusque omnium profundissimae describebantur; ad epistulam Canadae Sanctus Pater pronuntiavit, gentem Canadensem esse vere ferventem et devotam; collectionem epistoliorum pervolutans, quam parvuli Cruciati Collegii Soc. Iesu Massiliensis miserant, dixit, illud esse valde aedificans simulque consolatorium; misisse Cruciatos Poloniae quoque magnam copiam epistoliorum simplicium quidem sed revera animum moventium; Se etiam recepisse grandem numerum epistolarum ope Apostolatus aegrotantium, quas 2.000 aegroti in ipso lecto scripserant. Tum Sanctus Pater admiratus est epistulam Sinensem, quae in sericis depicta ab associatis Apostolatus Orationis in Sinis erat data. Laudavit illius decorem characteresque tam belle delineatos. Dein in tergo illius translationem latinam perlegit.

Videns imaginem photographicam lapidis illius commemorativi domus prope Catacumbas Priscillae, quae donis pecuniariis totius Apostolatus Orationis exstructa erat ad obsequium Summo Pontifici iubilaeum agenti praestandum, Sanctus Pater professus est tale donum tam delicatum, tam exquisitum, repositum esse in Suo corde et in Sua memoria.

Intuitus tabellas statisticas progressum Apostolatus Orationis anno 1929 exhibentes, admiratione captus est de ingenti numero Centrorum et Nuntiorum et Subscriptorum, dixitque ideo Apostolatum Orationis habere in mundo maiorem quam qui aestimari possit influxum, et rogavit, utrum omnes subnotatores revera pretium subscriptionis solvere solerent, necne, nam hoc a Se maximi reputari (1).

Cum tantum tempus donis iubilaribus Apostolatus Orationis videndis tribuerat, confessus est Se esse maxime contentum de omnibus, quae associati Apostolatus Orationis cum animo vere filiali et obsequioso Sibi occasione iubilaei sacerdotalis obtulerant; cuncta esse eximia et praestantia magis quam verbis exprimere posset; maximas ideo a Se exigi grates, quas tribuere tamquam officium sacrum simulque gratissimum habere; Sanctum enim Ambrosium dixisse: Nullum officium magis urgere quam agere gratias. Quam ob causam Sanctus Pater omnibus et singulis associatis Apostolatus Orationis, qui quocumque modo contribuerant, ut per illos magnificos Thesauros Spirituales necnon per illum alium thesaurum pecuniarium pro domo Priscillae cor Patris tanto gaudio consolationeque afficerent, commoto animo gratias agebat, atque iisdem omnibus et singulis in signum gratitudinis copiosas benedictiones, imprimis Benedictionem Apostolicam impertiebat.

Quaenam festa *Congregationes Marianae* fecerint ad id tam sollemne iubileum celebrandum, iam omnes Nostri norunt ex his quae in « Acie Ordinata » sunt scripta. Primum tamen notare iuvat, secretariatum centralem, quia nollet aliarum consociationum opus praepedire, videretque suos Sodales in multis aliis Actionis Catholicae sectionibus laborare, noluisse proprias Congregationis Marianae peregrinationes, neve thesauros spirituales proprios disponere. Ideo cum die 30 Maii Summo Pontifici obsequium Congregationum oblatum est, solae romanae mi-

---

(1) Iuvat hic addere maiora etiam consolationis argumenta in dies augeri; nam Apostolatus Orationis, qui anno 1929 in dioecesibus 1014, centra 98,500, Nuntios 63, linguis 39 scriptos, cum 2,160,000 subscriptoribus habebat, anno 1930 in dioecesibus 1,024 est, centra 100,000 habet, Nuntios 65, linguis 40 scriptos; numerus vero adscriptorum est 2,215,256. Soli alumni Collegii nostri Manilensis (Prov. Maril. N. E.) hoc anno 1930, subscriptiones 2,000 obtinuerunt Nuntio americano linguae anglicae.

serant suos, fere 300, delegatos. Fuit autem illud obsequium valde Summo Pontifici gratum, quo 117,378 sodales sua nomina mittebant subscripta pergamenis quibusdam, salutantes Summum Parentem omnium et humilem oboedientiam et opem promittentes; repraesentabant 1,222 congregationes ex omnibus orbis terrarum nationibus; multum haec animum S. Pontificis commoverunt, praesertim quae a leprosis et carcere inclusis erant scripta.

Singularis tamen fuit, quae mense octobri 1929 Romam venit peregrinatio hispanica, e Sodalibus Marianis tantum constans. Erant legati e 576 Congregationibus qui 86,000 sodalium repraesentabant: ex his 500 iuvenes: dux omnium Emmus. Card. Hispaniarum Primas, Petrus Segura y Sáenz. Patrem etiam nostrum convenerunt, ac in templo nominis Iesu sacra fecerunt.

Sub finem anni iuvenes studiosi Germani venerunt. Congregati 400 erant ex Austria, Germania, Helvetia ac praecipue Bavaria, qui, etsi non omnes, multi tamen e Nostris, nam a sex Patribus ducebantur. Hi primum mane novi anni 1930, in templo S. Ignatii ad aram S. Aloisii fecerunt.

Croatae Sodales magnificum album fecere in eoque thesaurum spiritualem miserunt, Sanctitati Suae valde gratum: missas 90,919, communiones 49,238, visitationes Ssmo. Sacramento 92,465, alia pia opera 1,000,178.

Illmus. DD. Michael d'Herbigny, S. I. gratum sibi onus suscepit offerendi Sanctitati Suae Litteras et munuscula spiritualia quibus intima pietatis gratique animi sensa erga Augustissimum Patronum et Benefactorem testari voluit *Missio nostra Orientalis*, manipulus ille parvus adhuc, quemadmodum suis ipsi litteris profitentur, et novellus, sed in dies Deo dante crescens et S. Sedi addictissimus.

Qualia fuerint vota horum in Polonia Orientali Societatis Iesu sodalium ritus slavici, palam faciunt verba ipsa quibus per litteras Suam Sanctitatem alloquebatur R. P. Wlodimirus Piątkiewicz, « Protoigumenus Patrum et Fratrum Soc. Iesu ritui graeco-slavico in Polonia adscriptorum »; dicebat enim: « Ad thronum Tuum, Augustissime Pontifex, non eo tantum religiosae venerationis sensu attrahimur, qui Christi in terris Vicario ab omnibus Ecclesiae membris atque adeo ministris iure debetur; verum etiam novo ac peculiari titulo eximii illius magnanimique amoris, quo Sanctitas Vestra Ritus Orientalis omnes, eorumque asseclas pa-

terne prosequitur, exoptatissimamque ipsorum cum vera Christi Ecclesia unionem praeparare et accelerare conatur. Quam indefessam Supremi Pastoris, largeque effusam in ritus populosque orientales sollicitudinem, nos profecto eo vividius percipimus, eoque profundiore grati animi affectu profitemur, quod ipsi etiam benevolentissimae istius providentiae et plus quam paternae munificentiae non semel iam facti sumus participes.

« Vicem itaque nostram pro tot tantisque gratiis ac benefactis utcumque reddere cupientes, ad pedes Sanctitatis Vestrae summa veneratione filialique affectu provolvimur, Augustissimoque operis nostri ac laboris Patrono ac Tutori, faustissima quaeque gestientibus animis apprecantes, Deum O. M. ardentissimis precibus oramus orabimusque, ut Beatitudinem Vestram, ad pacem Christi in Regno Christi magis magisque firmandam, ad Christianos omnes cuiuscumque ritus et confessionis in uno Dominico ovili quantocius coadunandos, ad exterarum tandem Missionum nobilissimum opus latius in dies promovendum, diu adhuc Ecclesiae suae dilectae, Orbique terrarum universo, salvum et incolumen conservare, potentique dexterae Suae virtute tueri et gubernare dignetur ».

Die 9 iulii Romam hae litterae pervenerant et iam die 10 RR. DD. d'Herbigny respondebat laetissima nuntia: « Epistula Reverentiae T. peropportune ad me pervenit die 9 iulii. Hodie enim ad S. Pontificem vocatus sum, et nunc redux — hora 9,$^1/_2$ post m. — statim certiorem te reddere volo de mirabili illa benignitate, qua S. Pater usus est. Vix enim litteras tuas ei obtuleram, cum legit, et mox, coetum omnium contemplatus (in photographia) et digitis voceque eo computato: « 22 sunt! — praeclara nobis spes et amata! Benedictionem eis dicas, valde specialem, in nomine Domini, paternam, gratam, multorum bonorum auspicem. Pignus autem dabimus illius Benedictionis, significativum...». Et surgens, clavibus sectionis cuiusdam Bibliothecae sumptis, ad illam vadit, porticellam aperit, imagines sumit, propria manu enumerat, et tunc: « En, ait, 22 imagines, quae 22 dilectis Nostris, Orientalibus inquam, Patribus et Fratribus Societatis Iesu, Benedictionem Christi Nostramque, una simul vel potius unam, significabunt ».

Imagines autem illae repraesentabant personam Summi Pontificis, manu dextera benedictionem elargientis, post quem in nube

quadam luminosa, crucis similitudinem formante, apparebat subtilis et pellucida Christi Domini Nostri figura, extensis manibus una cum suo in terris Vicario benedicentis.

Pontificium Institutum Orientale.

Si tam grata fuere Summo Pontifici obsequia quibus filii longe venientes suam fidem et oboedientiam testari tam variis modis conati sunt, non minus grata ea accidere quae filii hic degentes et in Patris communis conspectu laborantes exhibita voluerunt, perpetuae fidelitatis et amoris testimonia.

Die 26 aprilis 1929 *Institutum Pontificium Orientale* in aula Consistorii receptum est. Aderant omnes, videlicet: RR. DD. Michael d'Herbigny S. I. Instituti Praeses; 16 Professores, ex quibus 14 S. I., unus sacerdos saecularis D. Paulus Mulla, natione turca, institutionum islamiticarum professor, et vir laicus, princeps Volkonsky, linguae russicae professor. Hi omnes ex 12 sunt diversis nationibus, scilicet ex Austria, Belgio, Cechoslovachia, Gallia, Germania, Hibernia, Italia, Hispania, Neerlandia, Russia, Statibus Am. Foederatis et ex ditione Turca.

Discipuli autem vel erant alumni, vel auditores tantum. Alumni 22: 14 ex clero saeculari, 8 ex religioso (a Passionistis, Carmelitis, Franciscanis, Capuccinis, Benedictinis, « Lavigerie », Iesuitis), e 16 diversis nationibus.

Auditores 28 numerabantur, 2 ex clero saeculari, 16 ex regulari (Carmel. ritus malabarici, Benedictinis, Conventualibus, Iesuitis, Carmelitis), ex 12 nationibus (1).

Singulis Sanctus Pater manum praebuit osculandam ac fere de unoquoque, dum transiret, a Praeside percontatus est. Deinde sedens, hanc vere paternam orationem, habuit:

---

(1) Hoc anno 1930-31 inscripti sunt 63, ex quibus doctoratum parant 7, alumni anno II sunt 11; anno I, sunt 14; auditores 31. — Sacerdotes saeculares sunt 33, religiosi 25 (cisterc. str. observ. 1, PP. Blancs 2, O. Carm. 1, O. F. Min. 4; O. F. M. Convent. 3, O. Praed. 1, O. S. B. 3, O. S. Basil. M. 2, Soc. Imm. Conc. 1, Soc. I. 6, Soc. S. Spir. 1, laici 5: ital. 3, russ. orthod. 1, rumaen. orthod. 1. — Ad nationes 24 pertinent alumni: Aethiop., Angl., Austr., Columb., Georgia, Liban., Lituan., Luxemb., Melita, Mesopot., Neerl., Persia, St. Confoed. Amer., Syria, Uruguay; Rumaen. habet 2, Italo-Alban. 2, German. 2, Hispan. 3, Belgium 5, Iugoslav. 6, Polonia, Italia 7, Gallia 12.

« Solamini magno Nobis est vestra praesentia utpote quae vivissimo vos videndi desiderio respondeat. Non enim nunc tantum, sed alias etiam cogitatio nostra vos prosequitur, et frequenter in vobis, haerendo, delectatur. Pauca enim — in negotiorum multitudine quae undique tantis curis, immo sollicitudinibus nos premunt — tam alte ac profunde animo insident, quam Orientale Institutum ac eius labores, studia, opera, creationes, quotquot in eo Dei gloriae et Ecclesiae ac fructui animarum vacant. His ergo filiis eorumque operibus gaudemus et gloriamur, nam actione sua divini Cordis desideriis, Ecclesiae utilitati, animarum bono, selecte et speciatim, prout eorum studia ferunt, curant satisfacere.

Quapropter opus vestrum magni ducimus et — quantum alia negotia sinunt — id, cui vos libere et vacue studetis, Nos etiam cura prosequimur. Hinc pronum est deducere, quae Praeses, Professores, alumni serie ordinata, pulchra, dilucide, edunt, ea a Nobis plurimum aestimari.

Ergo peculiarissimam Benedictionem omnibus tribuimus. Hic autem cogitatio Nostra in omnes, quas quisque prae se fert, partes, se dirigit, in omnes regiones populosque singulorum. Quae res, illius paternitatis universae, quae ab arcano Dei consilio in Nos manavit, nunc sensum innovat. Onus quidem illud pulchrum et iucundum, nisi aeque grave ac propter officia ac pericula formidandum: haec tamen leviora fieri videntur cum Pater Communis filiorum adeo bonorum devota ac diligenti, in communis familiae spirituale emolumentum, opera circumdatur et levatur.

Quoniam vero in vestro Instituto videre Nobis videmur quodam modo, iam in antecessum, divinae illius unitatis in unum ovile spem impletam, quae Supremi Dei Pastoris voti summa ac promissio fuit, propterea Institutum et quotquot ad illud pertinent placet benevolentissimis benedictionibus paternis afficere ».

Biblicum Institutum.

Vix hebdomadae binae elapsae fuerant, cum die 8 maii *Pontificium Biblicum Institutum* Summum Pontificem adiit obsequii causa: Praeses P. Ioannes Ios. O' Rourke S. I., Professores et alumni (1). Quae Institutum ediderat, pluribus voluminibus affabre compactis, Sancto Patri sunt oblata. Hic, postquam singulis manum deosculandam praebuit, ita eos affatus est:

« Maximae Nobis est consolationi pulcherrima haec acceptio, utpote quae tot familias religiosas, tot regiones ac magnam concreditae nobis familiae partem repraesentet. Quin immo huius familiae *lecta* portio estis: lecta, propter vocationem ad sacerdotium; lecta, propter naturae gratiaeque dona peculiaria quae ad frequentandum Institutum Biblicum aptos vos faciunt: quae nedum vanitati ansam praebeant, humilitatis potius ac sancti timoris sensum fovent cum gravent eum qui ea sibi ac in se recepit. Placet tamen Nobis ac constat tales alumnos talibus Magistris respondere ac peculiari S. Matris Ecclesiae expectationi. Haec enim indiget peculiaribus adiumentis quae a studiis biblicis proficiscuntur, eoque plus conferunt quo per altiores et difficiliores vias procedunt: ut in montibus usuvenit ubi pauci ad alta cacumina pertingunt; sed tamen aliquos pervenire necesse est ut de pulchritudine creaturae et Creatoris alios edoceant ».

Hic S. Pater mundum naturalem cum supernaturali comparabat, ac inquisitiones de antiquissimis illius aetatibus, quas homines multiplicant, conferebat cum manifestis notis (in quas aemula cura insistendum est) Divinae Revelationis quae a principio, per aetates, ad nos usque devenit. Deinde prosecutus est: « Haec omnia non tantum amorem sed et peculiarem benevolentiam qua vos prosequimur probe confirmant: utrumque iure quodam ad vos pertinere concedimus; et nullam occasionem praetermisimus quin id ostenderemus. Quapropter Deo gratias agimus qui recenter melioris studiorum constitutionis ac formae ideam tri-

(1) Hoc anno (1930-31) discipuli 78 sunt, ex quibus 57 alumni, 13 auditores, 8 hospites; religiosi sunt 36 (in eis 9 capuccini, 7 Soc. Iesu, 3 redemptoristae...) ad 14 Congregationes pertinentes; e clero saeculari 40, laici 2. Nationes vero sunt 18: Italia 18, Hispania 11, America 8, Gallia 7, Germania 6, Polonia 5, Neerlandia 4, Helvetia 3 miserant.

buerit, tanto amore ac intelligentia per vos receptam. Ea ratione non tantum Biblicum Institutum sed alia quoque, quae cum ipso ordinata sunt Athenaea, commodum reciprocum auxiliumque invenient.

« Porro peculiaris benevolentiae in vos nova causa est in fructibus quos, tot editis scriptis, Institutum protulit; de quibus, hodie, cum XX vitae annos Institutum attingit, laetabundi gratulamur. Certe quatuor lustra longum iter non faciunt, sed longae et fructuosae viae, quae reliqua est, satis fidem praestant. Tale iter gloriosum et clarum evadet non quidem a misera luce et vana gloria humana, sed a vera gloria ac splendore, quae ab Ecclesia a Religione a Divino Rege derivant. Quae Institutum hucusque praestitit certam spem faciunt de maiore ac meliore futura eius opera.

« Certi sumus Nostro Biblico Instituto, nec in studio diligentiae fervorem, nec intelligentiae assiduam applicationem, nec zelum paternum in Moderatoribus, nec fidele obsequium in discipulis, unquam defutura. Pariter certi sumus scrupulum orthodoxiae perquam rigidae quae, in studiis per salebras (saepe proprie per abyssos) incedentibus, summe necessaria est; simulque scientiarum amplam visionem, quae praestet ut verum et lux undecumque veniant rite probentur, in Instituto numquam desideratum iri.

« Nec tandem deficiat umquam methodi illa severitas quae ad rectam discretionem inter verum et falsum adducit et ad communis ac familiaris intelligentiae spiritum — elementum adeo utile ad laborem ac fructum domesticum — plurimum confert ».

Postremo SS. Pontifex his affectus sensibus, dicendi finem faciebat, benedictionem peculiarem in hoc vicesimo anno impertiens cum omine ac spe de futuro certa. Studia item, proposita, opera, intentiones, patrias, domos, familias, quidquid corde et animo carissimum haberent, complectebatur.

Alumni triplicis Athenaei.

Annuit etiam benigne Sua Sanctitas desiderio *Alumnorum Universitatis Gregorianae, Instituti Biblici et Instituti Orientalis,* qui, omnes ab ipso S. Pontifice novis vinculis copulati cupiebant, coniuncti, suam etiam Supremo Hierarchae fideique Magistro oboedentiam sollemnissime protestari.

Non igitur in aula clausa Sedium Vaticanarum, vix enim fuisset ulla tam magno auditorum numero excipiendo apta, sed in amplissimo atrio S. Damasi quod illis aestivis diebus est iucundissimum sub vesperum, eoque ornato eleganter, die designato, qui fuit dies 11 iunii, coacti sunt scholares omnes, ad numerum fere 2,000, et ante eos ex corpore diplomatico multi repraesentantes nationum Peruviae, Belgii, Galliae, Hispaniae, Austriae, Venezuelae, Rumaeniae, Hungariae, Colombiae aliique; Excmus. DD. Paulus de Huyn Patriarcha Alexandrinus, plures Episcopi, Praelati, et omnes Professores.

Hora post meridiem 6ª egressus est Summus Pontifex et maximis plausibus exceptus; postquam assedit circumdatus tribus Emmis. Cardinalibus et Superioribus, et cantatum est « Oremus pro Pontifice », accessit Pater Noster et Suae Sanctitati brevia verba fecit, quibus et auguria votaque omnium referebat, rogantium suis precibus ut « Dominus conservet Eum et vivificet Eum et beatum faciat Eum in terra », et gratias agebat omnium illic adstantium nomine ob numquam exhaustam Suae Sanctitatis benevolentiam, tum alias tum eo ipso puncto temporis exhibitam. « Quid enim, aiebat, retribuam pro tantis beneficiis? » promittebatque omnes, exempla antiqui alumni S. Bellarmino secutos, pro virtute, pro scientia sacra, pro devotione erga S. Sedem fortiter adlaboraturos.

Et quoniam scholaribus constabat ille coetus et ii ad diversissimas nationes pertinebant, opportunum visum est et gratum S. Pontifici fore est creditum, si et studiorum et multiplicium nationum specimen proferretur. Ideo primum de septem diversis facultatibus designati fuerant septem alumni, qui et thesim quisque suam scriberet et summam eius quandam pararet quam coram S. Pontifice pronuntiaret.

Accessit ergo ex Pontificio Instituto Biblico P. Marcellus Lobignac S. I. (Prov. Franc.), qui de S. Augustini commentariis in Genesim disseruit; ex Orientali Instituto D. Ioannes Bučič (e Col. S. Hieronymi Illiricorum) qui de Innocentio III et principibus Nemagitis disputavit; P. Ioannes M. Restrepo Jaramillo S. I. (Prov. Columb.) delectus e cursu Magisterii est, egitque de duplici symbolismi formula apud Tertullianum; D. Aloisius Oldani, e Pont. Seminario Longobardo, mediolanensis, facultatem Iuris repraesentavit sua thesi de Ecclesia et Statu eorumque re-

lationibus. De Martyribus Anglis et divina Pontificatus origine disseruit R. Augustinus Frotz e Collegio Germanico, facultatis Theologiae nomine, sicut facultatis Philosophiae vices gerebat R. Ioachim Wroe ex Anglico Collegio, qui de unitate sociali totius generis humani qualis in operibus P. Taparelli elucet, verba faciebat; quem subsecutus est adulescens Henricus Medi ex Instituto Culturae pro Laicis, de scientia et Ecclesiae magisterio disputans.

Singulos oratores S. Pontifex et attente audivit et paterne allocutus est, et postquam hymnus est cantatus, locum habuit altera illa, vere catholica, caeremonia, quae solum in hoc tam universali Athenaeo haberi potest. Quadraginta igitur et octo iuvenes, ad totidem politicas nationes pertinentes, ordine nationum alphabetico, ab Aegypto ad Venezuelam, ad S. Sanctitatem accedebant et sua quisque lingua acclamabant: « Pio XI, Pontifici Maximo, Vita, Pax, Gloria ». Multae profecto linguae, varii tonorum voces, sed unus spiritus, una fides, in Ecclesiam Catholicam amor unus.

Dum hymnus Gregorianae Universitatis canebatur, evocavit ad Se Summus Pontifex trium Athenaeorum Superiores PP. Iosephum Gianfranceschi et Ioannem I. O'Rourke et RR. DD. Michaelem d'Herbigny eisque, quantopere fuisset delectatus tota illa sollemnitate gratulabundus manifestavit.

Tunc totam eam tam selectam numerosamque contionem allocutus: « Immo Nos, dicebat, clamare debemus: quid retribuam Domino.., et addere: « et hominibus, qui tam devote et amanter tanta bona protulerunt ». Inter tam multas et pretiosas margaritas quibus annus iubilaris fuerat ornatus, haec accedebat cultissima Academia »; cuius orationes magni a Se fieri et grata delectatione fuisse exauditas est fassus, eamque ob causam et ob spes in eis sitas, gratulatus primum est oratoribus ipsis, tum eorum magistris et directoribus. Sibi vero Ipsi gratulandum imprimis esse dixit: rarissime enim accidisse ut S. Pontifex tam vere contemplatus sit eam Paternitatem universalem a Deo Sibi traditam, quam tunc, cum ante Se cernebat tot iuvenes tam diversos patria et varios linguis, tam uniformes sensibus, qui fere quinquaginta nationes repraesentabant. Ideo Suam Benedictionem cupiebat ut deferrent in omnes orbis terrarum regiones, status, homines. Benedictio igitur descendit: in studia quibus addicebantur, in vota

et animi proposita quae corde fovebant ad futuram apostolatus vitam, in singulos scholares, qui futuri erant uberes fontes unde fides, scientia, amor scaturiret; in magistros deinde, qui dirigendo, instruendo, gubernando, illa bona operabantur, quorum specimina erat S. Pontifex admiratus; quidquid mente, quidquid corde gererent, benedicebat: se, suas res, familias, populos, nationes, rogabatque Deum ut omnibus gratiis cumulare vellet eorum vitam quae tam plena felicibus auguriis sese exhibebat.

Quasi tanta benignitatis signa non sufficerent, dignatus est etiam SS. Pater die 15 iunii per suum Secretarium Status Litteras amantissimas Patri Nostro dare, quibus denuo benedictionem paternam et simul nomismata septem inter oratores distribuenda mittebat. Exstat earum exemplar in Actis Romanis 1930, vol. VI, pag. 455.

VI. — DE POSTULATORIBUS GENERALIBUS

Causarum Beatorum et Venerabilium Societatis Iesu.

Die 2 augusti 1928 pie in Domino obiit P. Aurelianus Fajella (Prov. Neapol.), Postulator generalis (1), et biduo post secutus est eum P. Camillus Beccari (Prov. Rom.), qui eodem munere viginti annos eoque amplius functus erat (2).

Cum autem in nostris hisce annalibus tam benemeritorum Patrum memoriam servari prorsus deceat, visum est hac occasione uti, ut de tota Postulatorum generalium serie brevem retexamus historiam.

De munere Postulatoris generalis.

Munus Postulatoris generalis, cui omnium beatificationis et canonizationis causarum totius Ordinis cura demandetur, sat recens institutum est, quando et causae multiplicari coeperunt et leges de beatificationis processibus peragendis severiores ac fir-

(1) Cfr. supra, pag. 400 (2 *aug.*).
(2) Cfr. supra, pag. 400 (4 *aug.*).

miores factae sunt. Haud temere igitur affirmari potest tale munus non nisi post Benedictum XIV (1740-1758), accuratissimum de tota hac re legislatorem, passim invectum esse.

Ita v. gr. historice constat in Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum primum Postulatorem generalem constitutum esse anno 1761.

Ceterum neque tunc neque deinceps unquam universali lege statutum est necessario eligendum esse generalem Postulatorem pro causis totius Ordinis; ne in Codice quidem Iuris Canonici sermo est de tali officio, sed potius asseritur antiquum morem adhuc servari posse, cum dicatur: « Singuli pro singulis causis postulatores admittuntur » (Can. 2005).

Verum ob multas rei utilitates, quas longum est hic singillatim persequi, nunc omnes fere Ordines aut Congregationes religiosae, quae sint alicuius momenti, Postulatorem generalem habent. Eius officium est in omnibus suae religionis Causis ea curare et peragere quae de singulis Causis a Postulatore exigit canon 2007 Codicis Iuris Canonici.

In antiqua Societate.

Ad Societatem quod attinet, ex vetere quodam documento, non ita pridem a P. Petro Tacchi Venturi (Prov. Rom.) invento in antiquo Archivo Procuratoris Generalis, quod huc usque in Archivo Nationali Romae servabatur (1), videretur erui posse olim mentem fuisse constituendi Postulatorem generalem, saltem iam inde ab initio pontificatus Clementis X (1670-1676). Agitur de instructione quadam lingua italica exarata pro « Il Procuratore delle Canonizationi », ubi multa habentur consilia de modo se gerendi cum variis Sacrae Rituum Congregationis Officialibus, de modo parandi processus, de selectione causarum (2), de scriptis biogra-

---

(1) Anno 1927 ineunte, eodem Patre Tacchi Venturi curante, hoc Procuratoris Generalis Archivum Societati redditum est, hac tamen condicione ut eius accessus externis quoque studiosis aliqua ratione pateat.

(2) En v. gr. normae quaedam prudentissimae: « Quando sta per ultimarsi « una causa, non ne proponga altra. Quando le cause non sono alle strette, non « abbia difficoltà a tenerne accese molte: avviarne una, promuoverne un'altra. I « Padri Domenicani solamente l'anno 1627 richiesero la Sac. Cong. 19 volte et in « ordine a nove cause diverse; e dal 1660 in qua, 69 volte, oltre l'ultime della « B. Rosa dopo la Beatificazione ».

phicis et imaginibus spargendis etc.; etiam de quibusdam causis nominatim peculiari cura promovendis sermo fit, inter quas, praeter canonizationem BB. Aloisii et Stanislai, canonizatio Cardinalis Bellarmino esse urgenda aperte edicitur his verbis: « Anche la « Canonizatione del Card. Bellarmino sarebbe grandemente ap« plaudita, e probabilmente concorrerebbe largamente il Sacro « Collegio, e però è bene avviarla prontamente e far formar Pro« cesso del miracolo di Genova. E quando s'ottenesse la Canoni« zatione, procurar che sia dichiarato Dottor della Chiesa, della « quale ha scritto più d'ogni altro. Se Papa Clemente X^{0} sopravive « cinque o sei anni, non par difficilissimo l'ottener tutto ciò, per« chè S. Santità lo conobbe e gli ha singolar divotione ».

Ex hac ultima pericope facile admodum determinari potest tempus, quo haec instructio exarata est, id est inter annum 1670, quo Clemens X electus est, et annum 1676, quo est vita functus. Cum autem alio loco sermo fiat de canonizatione B. Francisci Borgia tamquam imminenti sed nondum peracta, pro certo habendum est hoc documentum non post mensem aprilem 1671 conscriptum esse: eo mense enim, die 12, Franciscus Borgia Sanctorum honores est adeptus. Quod vero ageretur de officio stabili constituendo, a Procuratore Generali distincto, id eruitur sat clare ex commendatione quae ibi fit habendi apud se « tutti i Processi che ora sono nell'archivio e in mano del P. Procurator Generale ».

Verum, neque tunc neque postea, saltem quantum constat e domesticis historiis, ullus constitutus est « Procuratore delle Canonizationi » seu Postulator generalis, sed hoc munere de facto fungi perseveravit Procurator Generalis, adiutus pro singulis causis a particulari cuiusque Postulatore, qui, saltem usque ad acta beatificationem vel canonizationem immediate praecedentia, vix non omnem causae curam peragebat, praeter administrationem oeconomicam Procuratori Generali tunc reservatam. Hi tamen particulares Postulatores quandoque plures causas promovendas suscipiebant, sed pro singulis constituebantur, nullo generali titulo assumpto. Hoc in munere, ut clariores quosdam commemorem, valde sese probarunt: P. Virgilius Cepari, († 1631) qui causam B. Aloisii impense promovit et causas Ven. Ioannis Berchmans, Ven. Roberti Bellarmino, Ven. Iosephi Anchieta feliciter inchoavit; P. Gulielmus Daubenton († 1723), Assistens Galliae, Postulator causae B. Ioannis Francisci Regis; P. Andreas Budrioli

(† 1763), qui canonizationem S. Aloisii diligenter paravit et ad finem perduxit (1); P. Petrus Cayron († 1754), qui causam Ven. Roberti Bellarmino studiosissime promovere quantum in se erat conabatur, ac felicius causam canonizationis S. Ioannis Francisci Regis conclusit (2).

In restituta Societate.

Tempore suppressionis, ut patet, vix non omnes Nostrorum Causae siluerunt: attamen, etiam tunc non siluit v. gr. causa Ven. Francisci de Hieronymo, quae, curante P. Alphonso M. Muzzarelli, anno 1806 felicem beatificationis gloriam obtinuit (3).

Sed paulo post restitutam Societatem impensiore studio coeptae sunt promoveri antiquae quaedam causae. Ex antiquo quodam expensarum regesto Procuratoris Generalis (nunc apud Oeconomum Generalem) apparet iam mense novembri 1822 reassumptam esse causam Ven. Alphonsi Rodriguez, curante P. Augustino Monzon Hispaniae Assistente, quae die 12 iunii 1825 ad felicem beatificationis exitum deducta est, curante (post obitum Patris Monzon, † mart. 1824) P. Vincentio Zauli Italiae Assistente; mense ianuario 1826 reassumptam esse causam Ven. Andreae Bobola, curante P. Raimundo Brzozowski Germaniae Assistente (4); annis demum 1827-1828 aliquid factum esse constat in causis Ven. Roberti Bellarmino, Ven. Petri Claver, Ven. Ber-

---

(1) Pater Budrioli multa manuscripta reliquit de canonizatione Sanctorum, quae in archivo Postulatoris generalis adhuc servantur. Benedictus XIV ei « propter singularem in causa Sanctorum experientiam multum tribuebat eoque perfamiliariter utebatur » ut dicit P. Iulius Caesar Cordara (in libro « *De suis ac suorum rebus* »). Quod autem addit Cordara: « Nec ex vano creditur opus illud magnum *De Canonizatione Sanctorum* Budrioli totum esse » (cfr. Sommervogel, Bibliothèque de la C. d. J., vol. II, col. 336) id non sine magna exaggeratione dictum aestimandum est: nam praeter quam quod illud opus nemo negare possit non mere ad honorem praeseferre nomen Benedicti XIV, in eo colligendo et recudendo idem Pontifex opera P. Emmanuelis de Azevedo se usum esse affirmavit (cfr. *Instit. S. I.*, ed. Florent., vol. I, pag. 282).

(2) Tam sancte et ipse P. Cayron vixit, ut eius beatificationis causa iam dein inchoata sit.

(3) Haec causa, ut notum est, ad sollemnem canonizationem dein pervenit anno 1839; sed tunc in actis iuridicis Postulator huius causae erat et dicebatur ipse Praepositus Generalis P. Ioannes Roothaan.

(4) Attamen nonnisi anno 1853 fortissimus hic Martyr Beatus est renuntiatus.

nardini Realino, curante P. Seraphino Manucci Pro-Postulatore, qui, secundum antiquum morem, de causis Societatis curam habere perrexit etiam cum Procurator Generalis factus est (1830-1834).

Qui Patri Manucci successit in munere Procuratoris Generalis, P. IOSEPHUS ALOISIUS CHIEREGHINI (Prov. Rom.), is primus fuit qui in annuis Catalogis inde ab anno 1851 etiam *Postulator causarum NN. VV.* diceretur; quin ex illo eodem anno idem prorsus titulus (1) tribui coeptus est etiam P. IOSEPHO BOERO (Prov. Taurin.), sed nullum dubium quin hic esset potius adiutor et socius Patris Chiereghini, cui deinde anno 1854 vita functo pleno munere successit (2); ex hoc tempore *Postulator generalis causarum NN. VV. et BB.* ab officio Procuratoris Generalis seiunctus est (3).

Et quoniam Postulatoris nomen alligatum manere solet causis, quas ad felicem exitum perducere potuit, indeque plerumque eius fama vulgo mensuratur (quamquam id minus iustum est, cum saepe maiorem laborem et industriam exigat causarum initium earumque perseverans promotio, quam finalis exitus), Patrum Chiereghini et Boero laboribus simul coniunctis tribuendae sunt beatificationes annis 1851-1853 habitae, scilicet: Ven. Petri Claver (21 sept. 1851), Ven. Ioannis de Britto (21 aug. 1853), Ven. An-

---

(1) Ante annum 1851 in catalogis annuis, quantum scimus, titulus *Postulatoris*, multoque minus *Postulatoris generalis*, nulli tribuitur: attamen, praeterquam quod, ut dictum est, de facto aliqua ratione illo officio fungebatur Procurator Generalis, iam anno 1843 in quibusdam documentis (in archivo Postulationis servatis) statum Causarum referentibus indicatur apertis verbis ut *Postulator generalis* P. AUGUSTINUS DELACROIX (seu *De la Croix*), qui tunc iam inde ab anno 1830 erat Minister Collegii Germanico-Hungarici atque dein ab anno 1844 ad 1867 eiusdem Collegii Rector fuit (per solidos ergo 23 annos!). Is erat e Provincia Belgica, sed Romae fere semper degit, ubi etiam octogenario maior pie obiit anno 1873. Quid in causis Sanctorum promovendis fecerit quantoque tempore earum curam gesserit haud facile est investigare. Fortasse erat adiutor P. Procuratoris Generalis in hac re.

(2) Patri Chiereghini Procurator Generalis suffectus est P. Iosephus Betti (Prov. Rom.), qui eo munere per 32 annos (1854-1886) est functus († 1886).

(3) Anno 1853, senescente P. Chiereghini, Postulatoris officium videtur bifariam quodammodo divisum fuisse: nam in Catalogo ineuntis anni 1854 Pater Chiereghini vocatur « Postulator causarum NN. *BB.* », et Pater Boero « Postulator NN. *VV.* »; ceterum, proximo anno 1854, mortuo Patre Chiereghini, utraque muneris pars uni Patri Boero est demandata; tamen etiam deinceps non semper est constans modus exprimendi hoc munus in catalogo.

dreae Bobola (30 oct. 1853): decretum vero confirmationis cultus, quo die 11 maii 1854 aequipollenter, ut aiunt, beatificabantur Venerabiles Ignatius de Azevedo eiusque Socii Martyres Brasiliae, uni Patri Boero tribuendum videtur (1).

A P. Iosepho Boero ad P. Camillum Beccari (1854-1900).

P. IOSEPHUS BOERO primus de facto dici potest et certe et praecipuus Postulator generalis fuit, quem Societas habuerit saeculo XIX. Isolabonae, in Liguriae oppido die 15 augusti 1814 natus, Societatem ingressus est Romae die 6 ianuarii 1830, Provinciae Romanae primum, dein Provinciae Taurinensi adscriptus. Professionem quatuor votorum sollemnium nuncupavit die 2 februarii 1848. Custos archivi Societatis et Substitutus Secretarii diu fuit, quae munera etiam cum Postulatoris officio aliquandiu cumulavit. Sed in hoc munus potissimum totus incubuit ab anno 1854 ad 1876, quo Assistens Italiae est renuntiatus. Tempore Concilii Vaticani (1869-1870) theologum egit RR. DD. Ioannis Bapt. Miège S. I. Vicarii Apost. in America. Cum anno 1883 in Congregatione Generali XXIII alius ei in Assistentis munere suffectus esset, Romae in Universitatem Gregorianam ceu privatus scriptor secessit, in eaque paulo post pie in Domino obiit die 8 februarii 1884. — Eius operae debetur canonizatio SS. Martyrum Iaponensium (8 iul. 1862), confirmatio cultus seu beatificatio aequipollens quae dicitur B. Petri Fabri (5 sept. 1872) et BB. Martyrum Brasiliae Ignatii de Azevedo et Sociorum (11 maii 1854), beatificatio sollemnis cum Beatorum Ioannis Berchmans (28 maii 1865) et Petri Canisii (20 nov. 1864), tum Beatorum CCV Martyrum Iaponiae (7 iul. 1867), inter quos Societas XXXIII numerat Beatos. Impense etiam promovit causam Ven. P. Iosephi Pignatelli aliasque complures, sed ad exitum perducere non potuit. Plurimi quoque exstant libri ab eo conscripti et editi, *Vitae* praesertim Sanctorum et Beatorum et Venerabilium Societatis; itemque novam editionem curare coeperat valde auctam *Menologii* Societatis a P. Ios. Antonio Patrignani olim editi, sed non ultra mensem februarium perduxit. Eius operum omnium elenchus habetur cum in

(1) P. Chiereghini obiit paucis post diebus die 16 maii 1854; ceterum Pater Boero, ut dictum est, isque solus eo anno erat «Postulator causarum NN. *VV.*»

Sommervogel (*Bibliothèque de la C. d. J.*, vol. I, coll. 1571-1584) tum apud Casagrande (*De claris Sodalibus Prov. Taurin.*, pp. 126-134).

Dum P. Iosephus Boero Assistentis Italiae munere fungitur (1876-1883), per aliquot annos nullus invenitur in Catalogis, qui Postulator generalis dicatur: fortasse ipse P. Boero, utut Assistens et absens (nam Faesulis degebat tunc Curia Praepositi Generalis), aliquam de illo officio superintendentiam peragebat. Sed Romae aderat tamquam Socius Postulatoris (Socius igitur sine « sociato » principali! saltem in catalogis) P. AUGUSTUS NEGRONI (Prov. Rom.), qui ab anno 1881 Postulator generalis pleno nomine dicitur. Hic, nobili genere die 14 febr. 1820 Romae ortus, sacerdos factus, per varios Romanae Praelaturae et civilis etiam magistratus gradus in Statu Pontificio ascenderat, quoad anno 1868 Minister rei interioris, quem dicunt, a Pio IX electus est. Post eventus anni 1870 ferebatur iam in eo esse ut Cardinalis crearetur, cum mundi eiusque honorum pertaesus, Pio IX permittente, in Societatem sese recepit die 20 iun. 1874. Attentis insignibus eius meritis, R. P. Petrus Beckx eum, paulo post expletum novitiatum, ad sollemnem quatuor votorum professionem promovit, quam ipse Praepositus Generalis excepit Faesulis die 15 augusti 1877. Ob adversam valetudinem non multa nec magna in Societate perficere potuit, sed vir fuit eximiae virtutis et vocationis suae amantissimus. Etiam ut Postulator, quo munere ceteroquin non diu functus est, nullam causam usque ad optatum exitum adduxit; sed nonnullas studiose paravit atque promovit, ut v. gr. causam B. Claudii de la Colombière, cuius introductionem ipse obtinuit; itemque causam Martyrum Angliae eo Postulatore inchoatam, etc. — Pie obiit Romae die 13 ianuarii 1896.

P. TORQUATUS ARMELLINI (Prov. Rom.) Postulator fuit ab anno 1884 usque ad mortem (3 sept. 1901). Romae ortus die 14 dec. 1823, Societatem ingressus erat anno 1843. Philosophiam biennio docuit in Prov. Marylandiae, dein Historiam ecclesiasticam in Collegio Romano. Ab anno 1864 ad 1884 Secretarii Societatis munere egregie functus est: Congregationibus Generalibus XXIII et XXIV interfuit, illi ut Societatis Secretarius, huic ut Elector Provinciae Romanae. Patri Negroni anno 1884 suffectus Postulator, ex causis, quas ille aut inchoarat aut promoverat, nonnullas ad felicem exitum perduxit: ei namque magna ex parte debetur sol-

lemnis canonizatio SS. Petri Claver, Ioannis Berchmans et Alphonsi Rodriguez (15 ian. 1888); item confirmatio cultus complurium Beatorum Martyrum Angliae (29 dec. 1886), inter quos BB. Edmundus Campion aliique quatuor de Societate numerantur; item sollemnis beatificatio B. Antonio Baldinucci (25 mart. 1893), BB. Rodulphi Aquaviva et Sociorum (2 apr. 1893), B. Bernardini Realino (27 sept. 1895).

P. Camillus Beccari (1901-1923)

Senescenti iam P. Torquato Armellini datus est Socius anno 1898 P. Camillus Beccari, qui, eo mortuo, pleno iure ac nomine in Postulatoris generalis munus successit. Natus hic erat Romae die 14 iulii 1849, parentibus piis admodum ac Societatis addictissimis, qui eum, anno 1865 in domum probationis ad S. Andreae ingredientem, libenter Deo obtulerunt. Ob Societatis dispersiones post annum 1870, Frater Camillus optimam occasionem habuit plures addiscendi exteras linguas, quae dein ipsi magno adiumento fuerunt in suo munere exercendo. Die 19 sept. 1877 sacerdos factus, die 2 febr. 1883 sollemnem quatuor votorum professionem emisit. Philosophiam ac theologiam plures annos variisque in locis docuit, donec ab anno 1898, ut diximus, Postulatoris Socius ac dein ab anno 1901 Postulator generalis renuntiatus est et usque ad annum 1923 in eo munere perseveravit.

Quamquam totis illis 22 annis non multas beatificationis causas, canonizationis vero nullam ad exitum perducere potuit, optime tamen meruit de postulatione generali, cum archivum et bibliothecam aptius disponendo, tum lipsanothecam seu Reliquiarum custodiam ordinando riteque collocando, tum complures causas sive reassumendo sive inchoando sive ita promovendo, ut merito ei quoque ex parte tribui debeat id quod eius successores PP. Aurelianus Fajella et Carolus Miccinelli proximis hisce annis tam copiose obtinuerunt. Patri Beccari autem potissimum tribuenda sunt: beatificatio BB. Martyrum Cassoviensium (15 ian. 1905), decretum de virtutibus heroicis Venerabilis (nunc Beati) Claudii de la Colombière (11 aug. 1901), decretum item de virtutibus heroicis Ven. P. Iosephi M. Pignatelli (25 mart. 1917), introductio causarum Ven. P. Pauli Capelloni, Ven. P. Aloisii Solari, Venerabilium Martyrum Aethiopiae, P. Bernardi de Hoyos, Martyrum Canadensium (nunc iam canonizatorum), Martyrum albenacen-

sium (nunc Beatorum), et reassumptio causae B. Petri Canisii (a. 1921).

Eo Postulatore, quamquam ex divina potius dispositione quam ex humana industria, reassumpta est etiam causa Ven. Card. Roberti Bellarmino, cuius beatificatio (13 maii 1923) et subsequens sollemnis Reliquiarum translatio (21 iun. 1923) ultimi fuerunt actus Patris Beccari ut Postulatoris generalis, quin et ab iis quoque abfuit adversa iam valetudine impeditus, eiusque vices tunc gessit is qui paulo post (2 iul. 1923) ei suffectus est, P. Aurelianus Fajella; nam duo socii ultimis illis annis Patri Beccari successive dati, variis de causis aliisque in muneribus occupati, Postulatoris officii heredes non fuerunt.

Gravi hoc munere deposito, Pater Beccari ex Universitate Gregoriana, ubi adhuc degerat, in Residentiam ad SS. Nominis Iesu secessit, ibique ad mortem usque mansit. Confessionibus audiendis impense addictus, alia praeterea caritatis opera bene multa, occulte plerumque, assidue exercebat. Ceterum, etiam Postulatoris curis distentus, haec eadem caritatis et apostolatus opera numquam intermisit, et praesertim ad foeminarum carceribus inclusarum confessiones audiendas per 27 annos mira constantia singulis hebdomadis se conferebat, aliisque etiam rationibus de miseris illis mulieribus piam gerebat sollicitudinem, dignus sane qui ab iis insignis benefactor et haberetur et palam praedicaretur. Mortem pedetentim venientem sereno admodum animo placidoque vultu excepit: cum in pervigilio S. P. Ignatii a Patre Nostro inviseretur, optimus senex tranquille ait: « Cras dies esset pulcherrimus ad moriendum! »; cumque P. Generalis reponeret hanc curam seligendi mortis diem relinquendam esse Deo, ipse subridens: « Ah! certe, certe! — ait, — fiat semper voluntas Dei; sed negari non potest quod pro filio S. Ignatii cras esset optimus dies ad mortem subeundam ». Eadem hac serenitate spiritus alios quatuor dies vixit, donec die 4 augusti 1928 pie in Domino quievit.

Praeter minores libros libellosque editos, nomen Patris Beccari apud doctos clarum fecit ingens opus quindecim magnis voluminibus constans, cui titulus: « *Rerum Aethiopicarum Scriptores inediti a saec.* XVI *ad* XIX ». His voluminibus perbelle edendis ac rite adnotandis apteque illustrandis multum et temporis et laboris impendit, sed magno cum plausu excepta sunt et etiam nunc a peritis magni fiunt.

P. Aurelianus Fajella (1923-1928)

Brevi admodum temporis spatio Postulatorem egit P. AURELIANUS FAJELLA (Prov. Neap.), sed magno cum successu; et quamquam fatendum est nonnullas causas a Patre Beccari iam eo perductas fuisse, ut eius successor vix aliud haberet quam maturos fructus colligere, alias tamen ipse P. Fajella, singulari qua fruebatur in his rebus perspicacia, ex diuturna oblivione opportune in lucem protulit, prudenter aptoque tempore promovendas curavit, cumque apud Sacram Rituum Congregationem magni fieret, multa obtinuit quae vix speranda videbantur. Nihil igitur mirum quod ad complures alias causas promovendas avide expeteretur et a multis aliis Postulatoribus saepe consuleretur. Ipsi quoque maxima ex parte debetur consilium instituendi foedus aliquod inter omnes Postulatores ad mutuum auxilium in suo munere praestandum, quod foedus reapse est constitutum et statis temporibus apud nostrum Postulatorem omnes Postulatores conveniunt de communibus negotiis acturi.

P. Aurelianus Fajella ortus est in pago Prezza (Aquila) in dioecesi Sulmonensi in Aprutiis die 25 maii 1877, et Societatem ingressus est Neapoli die 19 iulii 1892. Philosophiae Cherii (Prov. Taurin.) studuit, reliqua studia Neapoli confecit, ubi die 26 iulii 1908 sacerdotio initiatus est.

Tertiam probationem Florentiae peregit anno 1911-1912, Instructore P. Richardo Friedl, cuius semper gratissimam memoriam servavit eiusque beatificationis causam (siquidem magna cum sanctitatis fama hic Pater obiit anno 1917) inchoare vehementer optabat et, quantum in se erat, sedulo paravit. — Neapoli variis officiis primum occupatus fuit, dein sollemni 4 votorum professione anno 1914 nuncupata, theologiam dogmaticam in Collegio Maximo Neapolitano triennio docuit. Romam tempore belli accitus, dum administrando libello periodico « Messaggero del Sacro Cuore » operam dabat (1917-1919), itemque dum Minister erat in Pontificio Instituto Biblico (1919-1922) et in Residentia ad SS. Nominis Iesu (1922-1923), pro sua erga tunc Venerabilem (nunc Sanctam) Teresiam a Iesu Infante insigni devotione, eius causam impense, etsi non ex officio, promovere coepit, ita ut Postulator Ordinis Carmelitarum quasi suum socium et adiutorem eum haberet, ob eumque titulum anno 1923 enixe rogaverit Pa-

trem Nostrum et obtinuerit ut sibi liceret Patrem Fajella secum Luxovium (Lisieux) ducere ad canonicam sepulchri proximae Beatae recognitionem peragendam. Haec fuit occasio, ex qua peritia Patris Fajella eiusque ad munus Postulatoris aptitudo palam ostendi coepta est; ideoque eo ipso anno 1923, ut diximus, senescentis Patris Beccari vices primum gerere iussus, deinde a die 2 iulii Postulator generalis Societatis est renuntiatus.

Quot quantaque in hoc munere effecerit Pater Fajella omnes novimus, qui toties proximis hisce annis de novis Sanctis et Beatis laetati sumus. Ut maiora tantum commemorentur, ipso Postulatore habita est canonizatio S. Petri Canisii una cum Doctoris Ecclesiae titulo ei collato (21 maii 1925); itemque beatificatio Martyrum Canadensium (21 iun. 1925), quorum causam eodem illo anno reassumptam maximo cum ardore promovit et optime paratam reliquit, a suo successore feliciter complendam; beatificationem vix non ab insperato obtinuit Martyrum Albenacensium (6 iun. 1926), multumque iuvit beatificationem Martyrum Parisiensium (17 oct. 1926). Causas quoque reassumendas curavit cum S. Roberti Bellarmino tum B. Andreae Bobola, in ordinem ad eorum canonizationem, et processus apostolici ut rite fierent sategit; introductionem item obtinuit causae P. Pauli Ginhac (27 febr. 1924), et inchoavit causam P. Francisci Tarin. In causis autem B. Claudii de la Colombière et BB. Martyrum Angliae (1), quamvis hodiernus Postulator P. Carolus Miccinelli multum ad eas feliciter complendas adlaboraverit, ei tamen ad id stratam tutamque viam Pater Fajella reliquerat. Nihil vero hic nobis agendum de causis alienis, quas item haud paucas, ex concessione Patris Nostri ab iis quorum id intererat enixis precibus impetrata, promovendas susceperat.

Sed corporis vires, quas fere nunquam validas habuit, exeunte anno 1927 debiliores in dies fieri coeperunt. Nihil intentatum re-

(1) Quanti fieret opera Patris Fajella in promovenda causa beatificationis Martyrum Angliae (erat enim Postulator totius causae, non Martyrum Nostrorum tantum) vel ex hoc telegrammate dignosci potuit, quod ipso die mortis eius Romam pervenit:

« Fajella, Borgo S. Spirito, 5, Roma. -- Cambridge, 2 VIII h. 10. -- Schola « Studiorum Catholicorum Cantabrigiae in honorem Martyrum Anglorum congre- « gata, Deum enixe deprecatur, ut illorum ope te sanitati restituat. — Episcopus « Northamptoniensis, Catholic Rectory, Cambridge, England ».

liquit Superiorum caritas: ex Bellarminiana Domo ad SS. Nominis Iesu ubi adhuc degebat, ad Curiam medio mense maio 1928 translatus, indeque Neapolim missus (1), ut mitiore caeli temperie maritimoque aere uteretur, sed nullum levamen est inde expertus. Medio mense iunio Romam rediens proximae mortis indicia prae se ferebat. Et sane, duo menses nondum elapsi erant, cum optimus Pater, post diuturnos acerbosque dolores, obiit die 2 augusti 1928, aetatis anno 52, Societatis 36.

Vir erat haud communi virtute praeditus, eaque maiore sane quam prima fronte fortasse videretur, iis praesertim qui eum non sat bene novissent. Inter eius scripta, ut minimum quid sed non minimae regularitatis signum referamus, inventa est chartula quaedam facultatum sibi concessarum, eaque a Praepositis Provincialibus ex ordine subscripta cernitur ab anno 1914 usque ad mensem maium 1928, quo mense nimirum in Curiam iam aegrotus et mox moriturus venit.

Post privatas utriusque carissimi defuncti, PP. Beccari et Fajella, exsequias more nostro consueto peractas, visum est Superioribus (ut dicebat nuntius ad id vulgatus) « in grati animi signum ob magna erga Societatem duorum Postulatorum merita, qui, solis 28 horis interpositis, vix non una simul ad aeternitatem vocati fuerant », sollemniora funebria in diem 11 augusti indicere. eaque reapse in templo SS. Nominis Iesu habita sunt, celebrante R. P. Petro Boetto Provinciae Romanae Praeposito eodemque Procuratore Generali. — Patri Fajella vero etiam Patres Carmelitae parentare voluerunt ob magnam ab eo collatam operam, ut diximus, ad beatificationem et canonizationem atque adeo ad cultum amplificandum S. Teresiae ab Infante Iesu; ideoque die 3 septembris eo ipso anno 1928, recurrente die trigesimo ab eius obitu, in suo templo Sanctae Mariae a Victoria Missam de Requie canendam curarunt, celebrante (ipsis rogantibus) successore Patris Fajella, P. Carolo Miccinelli.

---

(1) Cfr. supra pp. 398 (14 *maii*), 399 (3-14 *iun.*).

VII. — NECROLOGIA.

R. P. IOSEPHUS BARRACHINA
ASSISTENS HISPANIAE
(1856-1929).

Die 6 mensis iunii 1929 obiit in Domino piam mortem R. P. IOSEPHUS BARRACHINA, Assistens Hispaniae qui erat ab anno 1915.

Parentibus ortus penitus christianis, anno 1856, in oppido Alcoy, provinciae Alicante in Hispania, septendecim annos erat natus cum nostrae Societatis ingressum petivit Dussède in Gallia, quo pulsa ex Hispania Provincia Aragoniae confugerat, ut novitiatum conservaret. Pertinet enim P. Barrachina ad eorum numerum qui in exsilio admissi in Societatem, in eoque partim educati, tanto eam maiore dilectione semper sunt prosecuti, quanto magis propter ingressum in eam sunt passi, quantoque eam pressius Christi patientis vestigia sequentem reppererunt et experti sunt.

Qui amor et ex eo parta fidelitas et communis observantiae aestimatio toto vitae tempore in Patre floruerunt: delectat legere quae cum magna devotione scribebat in formula votorum dum singulas renovationes votorum referebat etiam descripto nomine Patris qui eas in altari excepisset.

Biennio iunioratus in ipsa novitiatus domo expleto, licuit tandem Philosophiae in patria vacare, Verolae primum, tum Dertusae (1877-1880); missus deinde in Rempublicam Argentinam, magisterio exercendo debuit incumbere septem annis; tanta enim erat eo tempore virorum penuria, tantaeque difficultates in nationibus ut non raro Societas eius modi sacrificia facere cogeretur.

Theologiam quoque Dertusae emensus est, et sacerdos factus die 31 augusto 1890.

Magni iam tum Societas virtutes eius ac divinae gratiae dona fecit, adeo ut vix tertiam probationem absolverit, quam quidem ut socius magistri novitiorum peregit, cum, facta professione sollemni, anno 1893 renuntiatus fuerit magister novitiorum.

Aequavit in eo gravissimo munere omnium spem, et Verolae primum et deinde Gandiae, nam illuc tirocinium est translatum anno 1895, tum iterum Verolae per alterum quinquennium.

Verum ex suavissima illa novitiatus dulcedine deducendus fuit ut alia gubernationis munera obiret; et qui sex illis postremis annis optimam sui rationem fecerat dum Rector fuit domus probationis (1896-1902), designatus est socius R. P. Provinciali visitationem missionis Argentino-Chilensis instituenti, illicque deinde relictus ut, Superior totius missionis, sex annis Societatem regeret in illis regionibus, quas ut socius obierat et a tempore magisterii et cognoscebat et singulariter amabat.

Inde regressus, factus est ab A. R. P. Wernz provincialis Provinciae Aragoniae die 27 sept. 1909; anno vero 1912 visitationem iniit Insularum Philippinarum, quae tum totae, sicut vastissima illa Missio Argentino-Chilensis, ab Aragoniae provinciae dependebant, ab eaque natae sunt et formatae.

Hanc visitationem cum persolveret, accidit ut R. P. Isidorus Zameza Assistens Hispaniae, viribus valde debilitatus, regredi in suam provinciam (Cast.) debuerit; tum die 18 sept. anni 1914, R. P. Eduardus Fine, Vicarius Generalis, universae Societati nuntiavit, servatis iam omnibus quae de constituendo Substituto Assistentis infirmi atque absentis in Constitutionibus ac Decretis praescriberentur, « in eiusdem (R. Patris Zameza) locum fuisse substitutum P. Iosephum Barrachina, provinciae Aragoniae » (1).

Huic rei iam totus devotus, et simul ab anno 1918 rebus spiritualibus in Curia praefectus, constanter et magna cum diligentia in omnibus quae ad munus Assistentis pertinent, adstitit Patri Generali, cuius etiam exsilii aut in Helvetia commorationis particeps fuit Zizerii (1915-1918), quemque etiam comitatus est anno 1924 in Hispaniam abeuntem. Hanc nationem ipse quoque adierat anno 1922 ad gravia quaedam negotia nomine ipsius Patris Nostri pertractanda.

Magna fuit in eo animi tranquillitas et elevatio, quam et in gubernatione semper ostendit et in morbo ultimo auxit; singularis in Societatem amor, cuius egregios viros in altaria provehere ardenter procuravit, praesertim PP. Rochum González et Iosephum Pignatelli; sed mira pietas quam prodebant, inter alia, frequen-

(1) *Acta Rom.*, vol. I, 1914, pp. 49-50.

tissimae eius iaculatoriae preces, et eae quas feria VI prima cuiusque mensis, in honorem SS. Cordis Iesu, et die anniversario ab ingressu in Societatem singulari devotione et assiduitate fundebat.

Consonant prorsus cum his, ea quae decumbenti iam et morienti acciderunt: de quo nihil gravius dixerimus quam quod cum omnibus Provinciarum Praepositis communicabat Pater Noster (1) die 7 iunii 1929, in festo sacratissimi Cordis Iesu, cuius in primis vesperis mortuus erat P. Barrachina:

« Morbi molestias per quatuor menses eoque amplius eadem qua vixit animi aequitate subiit, mortem lento gradu propinquantem laetus exspectans. Pridie festi Ascensionis Domini, cum iam omnia, ad eum sin minus sanandum saltem levandum pertentata, prorsus inutilia evasissent et extremum periculum imminere videretur, mihi aliisque se invisentibus sereno vultu dictitabat bonum sibi fore si tam pulchro die ad caelum cum Christo ascendere contigisset. Mox tamen carissimus aegrotus proximum illud periculum superavit, Deo sic disponente, ut praeclarum patientiae exemplum nobis produceretur. Sed exeunte mense maio iterum ad extrema deductus et, praeter alia spiritualia solacia, peculiari Summi Pontificis apostolica benedictione recreatus (2), post agoniam bene longam, in primis vesperis festivitatis Sacratissimi Cordis Iesu, in eodem divino Corde, quod ad finem usque cum viva fide et amore invocaverat, suavissime quievit ».

RR. DD. HENRICUS DE LESPINASSE DE SAUNE (1850-1929).

Agebat aetatis 80 annum, Societatis 54, Episcopatus tricesimum, cum die 7 augusti 1929, inter eas ipsas oves quas toto zelo et caritate aluerat, demigravit in caelum Tananarivi, in insula Madagascar, eius quondam Vicarius Apostolicus, RR. DD. Henricus de Lespinasse de Saune (Prov. Tolos.).

---

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 333-334.

(2) En telegramma ex Civitate Vaticana ad Patrem Nostrum missum die 25-V-1929: « Sua Santità di cuore imparte infermo Padre Barrachina conforta « trice Benedizione Apostolica pregando divine grazie. — *Carlo Confalonieri* ».

Iam in Theologiae cursu, quem Uclesii fecit, dotes illas ostenderat quas per totam vitam conservavit et auxit, eoque confecto, in ea ipsa domo ministri munere per annum functus, designatus est Rector Collegii Tivoli Burdigalensis; quo in loco mirum in modum voluntates omnium sibi devinxit, praesertim ob quandam animi elevationem et magnitudinem qua erat singulariter distinctus; cum audisset dici se videri principum filium, respondit facete, se a principibus quidem non esse natum sed tamen vere in aristocratica Tolosae urbe esse ortum. In ea enim, ex familia admodum christiana, matre ut ipse dicebat vere sancta, natus est, quae totius familiae educationi totam se consecrarat, et admodum Societati addicta, nostram ecclesiam quottidie frequentabat; ipsa, quod dum hic vivebat obtinere non potuit, effecit postquam mortua est, nam non solum Henricum sed etiam ante eum Xaverium et Franciscum in Societatem ingressos vidit.

Iam ab infantia vocationem se sensisse fatetur et in eam sequendi animo perseverasse, sed ob varias causas interque eas ob patris voluntatem, qui putabat nimis iuvenem eum esse cum educationem in nostro Collegio absolvit, profectus Parisios est, biennio se ad Scholam Polytechnicam praeparavit, et in hanc est admissus, anno 1869, simul cum eo qui futurus erat aliquando Maréchal Joffre.

Sed subito, relictis pacis studiis, in strepitum bellicum evocatus est, atque id quidem suam indolem adeo implebat et alliciebat, ut vix videretur alii vocationi esse locus, praesertim cum cursum honorum in re militari feliciter facere et gradus conscendere, adhuc adulescens 20 annorum, coepisset: qui etiam ob animi corporisque elegantiam, ob subditorum amorem et ipsam liquidam vocem imperitando aptissimam, inter ipsos socios seligi saepe ad honorifica quaeque conspiceretur.

Sed ad Rectorem Collegii Burdigalensis revertamur: postquam sex annos eam Domum rexit, tunc tandem potuit Tertiae Probationi mitti Castres, nactusque in ea est Instructorem Patrem Paulum Glubac, qui iam anno proximo erat hunc mundum relicturus; eius maturos et postremos fructus videbatur colligere P. de Saune. Cumque deinde per decem menses procurator fuisset Missionis Madecassensis, factus est denuo Rector Collegii Monspeliensis (Montpellier).

In his muneribus cunctis, semper sibi constans, evolvebat illas

quas natura et educatio dederat dotes, magnae claritatis in videndis negotiis, eorumque commodis certo dignoscendis, efficacitatis in mediis adhibendis hominibusque regendis, et summi simul amoris et suavitatis in sibi devinciendis iis, quorum opera uti debebat ad gloriam Dei promovendam.

Dum ita feliciter et cum omnium laude regebat Collegium, arcessitus est a R. P. de Scorraille, Provinciali, ut obviam transeunti accederet in stationem ferream Biterrensem (Béziers): designatus a S. Sede erat Episcopus Auxiliaris Vicarii Apostolici Tananarivensis; res tam subita et tam inopinata memorem fecit eum praeteritae vitae militum, quos, ut ipse aiebat, nihil admiratione commovere debet.

Igitur consecratione die 18 februarii anni 1900 in urbe Trichinopoli suscepta, iam proximo mense martio Tananarivum sollemniter ingressus est. Ex eo die usque ad mortem, per fere triginta annos factus vere pastor totius gregis, totum se quantus erat quantumque poterat, ovibus salvandis devovit. Exstat eius spirituale testamentum quod iuvaret exscribere nisi brevitate spatii excluderetur; continet enim imaginem perfectam eorum quae operatus in Missione est, tum illis primis 11 annis quibus coadiutor Vicarii fuit, tum postquam ab anno 1911 Vicarius est ipse renuntiatus.

Qui olim polytechnicus et deinde militaris fuisset, nunc illos mores et industrias lucro apposuit et adhibuit cum foenore ad agendam et promovendam vitam Missionariam, ad quam ipse etiam omnino se accommodavit, in minimis quibusque, in tota illa immensa sua dioecesi.

Eo ductore Missio magnos progressus fecit: duo vicariatus de Fianarantsoa et Antsirabé erecti sunt; postea PP. Praemonstratensibus regionem Vatomandry tradendam curavit, missionarios iterum induxit in provinciam Miarinarivo, quam dein Patribus a SS. Trinitate excolendam commisit, et Missionariis de la Salette oram totam Maintirano commendavit. Potuit tunc maiore intensione in suo grege dirigendo laborare: plus 200 novas stationes posuit, novas ecclesias erexit, numerum fidelium duplicavit (140.000 sunt hodie); magnam curam in clero indigena formando adhibuit, et non sine iusta consolatione die 18 februarii anni 1925 sua ipsius manu novem primos sacerdotes malgaches consecravit; etiam vocationes religiosas tam virorum quam

virginum promovit feliciter. Erat interea facillimus accessui omnibus, etiam infimae plebi et pueris praesertim qui saepe dicebant se solum ad salutandum Episcopum venisse, et suavissimum patrem se Nostris praebebat, eorum consolationi et iuvamini traditum et omnium negotia curasque in corde semper gerentem. Revera eius memoria in benedictione est.

P. LUCIANUS CATTIN
(1851-1929).

P. Lucianus Cattin fuit Rector Universitatis Berytensis in eaque medicae facultatis Cancellarius, Praefectus studiorum, ac bis totius Syriae Missionis (Prov. Lugdun.) Superior, bis Eques et Legionis Gallicae et Meriti Libanitici.

Ad eius funebres exsequias Berytum ingens multitudo convenit. Ordo civilis, religiosus ac militaris, studentium populus cum vulgo, viro insigni magna animorum commotione parentabant. Interfuerunt: Delegatus Apostolicus, septem Episcopi, Summus Reipublicae Praeses cum tribus Ministris, Galliae Consul generalis multique alii ex Gallia primores ac Institutorum Berytensium vel Rectores vel legati.

Ritum sacrum peregit P. Claudius Chanteur, Missionis Superior, et R. P. Ioannes Costa de Beauregard Praep. Prov. gravissimis verbis elogium texit, cuius haec summa fuit.

« Memoria prodigiosa ornatus erat: ingenio mirifice ad ordinem disposito, praecipue vero corde magno insignitus. Ad hanc regionem eiusque populum vehementer et operose afficiebatur — in suos cooperatores caritate effusus, quidquid ab eis peteret delicate obtinebat. Singulari vero amore alumnos prosequebatur, quos in vitam omnem sollicite ac presse velut mater et custos vigilabat. Eorum nomina et lineamenta retinebat adeo ut post longos absentiae annos e vestigio agnosceret quemque ac solaretur.

« Verum, eum perfectum virum aeque ac institutorem reddidit religiosa disciplina absoluta. In se et in aliis ordini et exactae observantiae studebat, in omnibus inania abhorrens et actionem promovens. Dum iuvenes alloqueretur paralysi fere simul captus et ereptus nobis est ».

In eo sermone, quasi mortis praescius, haec verba, testamenti

instar, effatus est: « Ecce huc convenimus forsan ultima vice. Etsi senex ego, est aliquid in me quod non senescit... est cor P. Cattin... Sentio me vos proxime relicturum... verum firma spes tenet nos serius in novum mundum, hoc meliorem, congressuros. Illic vos spero, affectui vestro fidens ac fidelis. Valete, animae meae, nemo condicto desit... ».

Haec novissima eius verba.

Etiam Consilium Deputatorum Reipublicae Libanitae pro consessu Patrem Cattin commemoravit velut « Operum Missionis multiplicium magnum Fundatorem ac impulsorem, ex quibus factum est ut respublica haec in Oriente primas in cultu teneat ». Ergo eius obitus totius regionis est luctus.

Iamque Beryti, preli ope, pecunia comparatur ad monumentum publice erigendum viro illustri qui fere quinquaginta annos publico ac privato bono se impendit.

Fuerat etiam in Aegypto et Collegii Alexandrini fundator habetur.

P. FRANCISCUS I. FINN.
(1859-1928).

Libenter, opinamur, excipient multi si quid dixerimus de Patre cuius scripta tam multos ex nobis delectarunt in pueritia. Pluries edita sunt et in praecipuas omnes linguas versa 21 ille opuscula novellistica quae P. Franciscus I. Finn tanta animi puerilis cognitione tantaque litteraria perfectione perfecit, ut merito sit appellatus « primus inventor seu explorator cordis pueri catholici americani ». Scribit ipse nullam sibi umquam gratiorem rem accidisse quam cum audierit suos libellos aliquas vocationes in vitam religiosam aut sacerdotalem excitasse.

Nec solum ipse scripsit sed exemplo etiam alios movit et quasi vere novae scholae litterariae dux dici potest, praesertim cum illa sua inter tam multos labores comitas atque caritas, ab omni superbiae aut invidiae sensu alienissima, omnes, quicumque inter catholicos apparerent, scriptores laudaret, hortaretur, alliceret, adiuvaret: « fortasse, ait eius vitae conscriptor, vix est catholicus ullus auctor in America aut Anglia, qui non servet inter dulces

thesauros aliquas litteras aut scriptum aliquod P. Finn, eius opera laudantis ».

Sed amabat maxime eos qui in nostra Societate pro catholicis rebus laborabant scripto aut aliter, de quo exstant singularia exempla, namque ut matrem hanc prosecutus est amore tenerrimo: « dux fuit, ait eius P. Rector Hubert F. Brockmann, omnium inceptorum in hac urbe Cincinnati per 30 annos ».

Ipse fatetur in suis paulo ante mortem scriptis et iam prelo datis commentariis (1), media quibus suam vocationem inter pericula Universitatis conservasset, praeter Marianam Congregationem, fuisse maxime nostrorum PP. communicationem: « considerabam eos, inquit, ut omni admiratione dignum corpus. Ex eo tempore usus sum eis familiarissime, ubique, in septemtrione, meridie, oriente, occidente, et gratias ago Deo meo quod fateri debeo nunquam meam de eis opinionem mutavisse; inveni semper apud eos magnam puritatem, extraordinariam sanctitatem, caritatem fraternam, cetera quae eos signant sigillo verorum Christi sectatorum ».

Nihil mirum si ita loquebatur qui de seipso tam humiliter sentiebat. A R. P. Provinciali mittendus domum fuit ob infirmam valetudinem ex tirocinio, et « ad societatem ineptus » declaratus; memorat ipse hunc diem quo cum lacrimis nostram Domum Probationis debuit relinquere et « 50 anni delapsi sunt post haec; liber sum ad loquendum, at confirmo, ait, ex his quae postea acciderunt, pro certo me habere P. Provincialem omnino in vero fuisse. Humane loquendo, non eram aptus ad vitam Societatis: humane loquendo, inquam; Deus enim saepe instrumenta seligit ad sua opera proficienda inepta ».

Sed erraverit qui crediderit praecipuum Patris laborem in conscribendis libellis positum fuisse; pueri certe totam suam vitam impleverunt sed multis modis, quam multis potest caritas inexhausta sese multiplicare: et primum in Collegiis, nam illic magister et morum praefectus multis annis fuit, deinde in ministeriis in urbe Cincinnati, ubi quidquid erat, quidquid poterat, totum ad puerorum educationem et bonum applicavit: narratoris et auctoris dramatici dotes, amicitias, comitatem summam, virtutes,

---

(1) Fr. Finn S. I., *The story of his life told by himself*, edited with a preface by Daniel A. Lord S. I. — Benziger Br. 1929.

in alios influxum, organizationes, sodalitatem virginum quas numero fere 1000 dirigebat. Constituit Bibliothecam circulantem, qua ferme 4000 libri boni visitant quotidie etiam dissitissimas domos puerorum in Statibus et Canada, promovit consociationem antituberculosam, singulares ad solos pueros destinatas contignationes in variis nosocomiis faciendas curavit, omni modo eorum vitam paroecialem excitavit circum nostram ecclesiam Sti. Xaverii, sed praesertim, idque « eius opus » appellatur, constituit Sti. Xaverii Scholas, primas in tota urbe catholicas liberas scholas paroeciales, easque incredibili constantia, hortando, dirigendo, emendicando, tandem dotavit; etiam 1300 pueros numerabant, aliquando 21 nationum, in quibus commercialia quoque studia stabilivit; anno 1920 iam 2500 alumni ex his postremis exierant qui maximam partem sunt in commercio urbis collocati.

Nec in sua paupertate est nostrorum oblitus; laborabat postremis annis et rem fere perfectam reliquit ut constitueret aliquas « bursas » ad perpetuo alendos novitios in nostra Domo Probationis Smi. Cordis ad Milford.

Doluerunt eius mortem unanimes nostri et externi, immo vero protestantes ipsi et iudaei, sed maxime pauperes, eiusque exsequiae, quales nullae umquam, fuerunt in nostra ecclesia, adstantibus plurimis ex utroque clero, multis equitibus de Colon, innumeris amicis qui ab eo in faciendis eleemosynis et operibus catholicis fuerant directi, sed praecipue pueris quibus, sicut in vita sic in morte, circumdatus fuit, quique erunt sine dubio eius corona qua fulgebit in perpetuas aeternitates.

P. FRANCISCUS X. KUGLER
(1862-1929)

Longe diverso laborum genere utilissima officia et Ecclesiae et nostrae Societati protulit P. FRANCISCUS XAV. KUGLER (Prov. Germ. Sup«), « vir sapientissimus, famae ut hodie dicitur mundialis, si quis alius, in sanctitatis exercitio vitaeque assiduo labore luculentissimum sui Instituti exemplum, et ob hilaritatem et diffulgentem laetitiam homo amabilissimus » (Dr. F. A. Herzog, Luzern).

Aetatis anno 24 nostram Societatem petivit qui iam in scientias incubuerat Heidelbergae et Monachii, et Doctoris lauream in Chemia obtinuerat. In nostra Domo Exaetensi usus est familiariter Patre Io. Epping, qui antiquae orientali astronomiae sese dabat, socio Patre Io. Nep. Strassmaier, eximio assyriologo, et antiquitatum assyricarum editore, Londini tunc temporis laborante. Utriusque Patris opera et successum habuere mirabilem, maxime in classicorum narrationibus cum orientalibus compingendis, et Patri Kugler persuaserunt, sibi, si eorum vestigia sequi vellet, necesse omnino fore ut utriusque studia et eruditionem in se coniungeret; scientiarum igitur astronomiae et matheseos cognitioni adiciendam esse magnam philologiae et historiae assyricae peritiam, siquidem astralis religio, astronomia, chronologia unam solam rem illic constituerent; inde nostrae religioni opem magnam posse conferri.

Benedixit Deus uberrime his inceptis. Scripsit, dum superiorem mathesin in Philosophatu Valkenburgensi docebat, opus « Babylonica temporis computatio; bina Chaldaeorum de solis lunaeque cursu systemata », quod singularem in modum sapientum oculos et admirationem ad se convertit. Subsecutae sunt non parvae nec paucae disputationes, nec enim sine contradictione multos, maxime acatholicos, de suis scientificis sedibus removebat suis elucubrationibus; tunc accinxit se magno illi operi quod per partes composuit et edidit: « Stellarum cognitio et usus Babyloniae; investigationes assyriologicae, astronomicae et astrales-mythologicae », cuius ut singuli fasciculi prodibant, nova luce suffundebant ignotissima illa tempora et novas pervestigationi aperiebant vias.

Fragmentum quod anno 1914 repperit P. Kugler de casu ruinaque Demetrii Nicatoris in Media, ad Primum Librum Machabaeorum (4, 1-3) explicandum aptissimum, duxit eum in studia imprimis biblica, et ab eo anno ad an. 1922 confecit utilissimum illum librum « Von Moses bis Paulus », qui quantum chronologiam Vet. Testamenti iuverit, eius rei peritissimi quique testantur unanimes, ad dies, ex. c., etiam hebdomadarios Libri Esdrae et Nehemiae figendos: « non dubitaverim asserere hunc librum, in eius complexu, opus esse primi omnino valoris, supremi cuiusdam momenti, et instrumentum prorsus necessarium ad historiae biblicae difficultates superandas » (P. Condamin).

Non vacat diutius in hoc benemerito filio Societatis morari, sed certe iuvat commemorare eius indefessos labores tanti a Patre Nostro esse habitos, ut in eo primum usus ea facultate fuerit quam postrema Congregatio Generalis constituit ad gradum Professionis quattuor votorum elevandi « scriptores qui ad honorem et utilitatem Ecclesiae eminenti modo conferunt » (1). Sic qui ad annum 1926 Coadiutor spiritualis fuerat, die 25 martio eiusdem anni factus est Professus quattuor votorum.

P. ALVISES SEU LUDOVICUS QUERINI
(1846-1929).

Vita PATRIS ALVISIS seu Ludovici (2) QUERINI (Prov. Rom.) exemplum est quod probat, formatio nostra ecclesiastica, si solide fiat et profunde, quam aptos reddat operarios qui virtutibus religiosis praediti sint, ad fructus copiosos in Ecclesia Dei efferendos. Iam anno 1884 fere caecus redditus fuerat, et tamen illis 45 qui adhuc ei restabant annis perrexit consilio et doctrina iuvare et Nostros et externos, praesertim clericos, tam sollerter et feliciter ut et ipse et multi alii providentiae utilissimae tribuerint, quod, ob illam oculorum infirmitatem, relictis scholis sese laboribus apostolicis devovere debuerit, magna iam doctrinae supellectili instructus; id frequenter asseritur in litteris quae, eo iam mortuo, scriptae sunt a magnae auctoritatis et celsorum munerum viris ecclesiasticis.

E familia Veneta natus est praenobili P. Querini anno 1846, cuius proavi in nostra Venetiis Ecclesia stemma heraldicum fixum reliquere, cum B. M. Virginis ad caelos assumptae altare suis sumptibus erigendum olim curaverunt: gratiam ab eadem B. Virgine semper aestimavit ipse Pater et quod nostram Societatem est ingressus et quod die Assumptionis B. M. Virginis est fere caecus factus.

---

(1) *Epitome Inst.*, n. 445, 3°.

(2) Eius praenomen, quod *Alvise* lingua patria audiebat, erat Ludovicus, siquidem Patronum suum colebat S. Ludovicum Tolosanum Episcopum, quem Veneti S. Alvisem vocant.

In Seminario Patriarchali eiusdem urbis studiis humanisticis per sex annos et deinde Philosophiae biennio se dedit. Sed cum vocationem a Deo nondum videret claram, relictis ecclesiasticis studiis, transulit se ad Universitatem Patavinam, ibique quadriennali cursu peracto utriusque iuris laurea est decoratus. Tum magistraturae vias iniit non sine successu, auditor iudicialis et praetor statim factus. Sed ut ipse in novitiatu declaravit, sensit statim studium sibi accendi et Metaphysicae et praesertim Theologiae Dogmaticae perdiscendae.

Haec initia fuerunt vocationis, consultoque suo Directore, Patre quodam ex Oratorio, Dei claram vocem agnovit et in Novitiatu S. Andreae Romano ingressus est nostram Societatem anno 1869, unde iam proximo anno migrare in exsilium debuit, primo in Tyrolim deinde in Galliam.

Quattuor annis cum studuisset Theologiae Valle Guidonis seu Laval (Prov. Franc.), in ea ipsa Domo per tres annos Ius Canonicum et Historiam Ecclesiasticam docuit; peractaque tertia probatione Marignani (Prov. Neap.), professor Iuris Canonici in Universitate Gregoriana renunciatus est; proximo vero anno cum P. Antonius Ballerini esset mortuus, eius cathedram Theologiae Moralis suscepit, simulque grave onus Praefecti Generalis Studiorum totius Universitatis; eo munere fungebatur, cum ipse et P. Petrus Baldi examinatores fuerunt iunioris Sacerdotis Achillis Ratti, nunc S. P. Pii XI.

Ita Deus praeparaverat Patrem Querini ut, anno 1884 typho affectus et visu graviter periclitatus, vitae totius cursum mutaret et sapientiae zelique fontes christifidelibus in ministeriis, et Nostris in gubernatione et directione spirituali aperiret. Nam complures annos Superiorem egit variis in Societatis Domibus, tum in Provincia Romana, tum in Provincia Taurinensi; quin et Rector fuit Universitatis Gregorianae, ab A. R. P. Wernz statim post suam in Praepositum Generalem electionem (anno 1906) ut sibi succederet designatus, eoque munere ad medium usque annum 1910 perseveravit. Reliquum vero tempus, iam ab anno 1884, P. Spiritualis fuit aut Magister Novitiorum, aut Rector Collegii Stratensis (Strada in Casentino), aut Superior Residentiae Bononiensis, aut Nostrorum Rector Cherii (Prov. Taurin.) aut operarius Romae; sed diutius fuit Instructor Tertiae Probationis, Albani primum, deinde Cherii, tum denique Florentiae. In hac Flo-

rentina urbe maximam sui laboris partem hic abnegatus Pater posuit; fuit enim in ea Superior Residentiae biennio, ab anno 1893, tum iterum ab anno 1897 quoad designatus est Rector Universitatis Gregorianae, ut diximus, tum denique ex anno 1919 vixit illic usque in vitae exitum, tribus primis annis ut Instructor Tertiae Probationis, postremis septem ut operarius, cuius zelum animosque non debilitabat senectus.

Dulcissimam sui memoriam reliquit in Florentina urbe: ei referuntur accepta multa, nova Residentia empta, Ecclesia structa B. M. Virginis a Bono Consilio, Congregationes Marianae per se et per suos subditos quandiu Superior fuit promotae, Exercitia data saepe, ecclesiasticis viris praesertim, qui ob egregiam suam eruditionem et caritatem eum expetebant, cursus religionis superiores ad studentes stabiliti, Associatio Catholica Popularis adiuta magnopere. Denique, legitur in Litteris Aedificantibus eius Provinciae Romanae, iniit ipse illam bonae aestimationis et fiduciae accessionem, quae inde ex eo tempore erga PP. Societatis accrescit, in civibus et in tota Archidioecesi Florentina; fuit in his alter Pater Ricásoli, cuius multa coepta corroboravit et stabilivit ideoque debet computari inter maxime benemeritos Patres, qui Florentiae vixerint et laboraverint; in ea Domo pie tranquilleque obiit die 7 iulii 1929.

A Nostris vero quanti fieret, praeter quam ex diuturno tot domorum regimine, magna omnium satisfactione peracto, vel inde apparet quod, non obstante illa quam diximus oculorum infirmitate, bis electus est Deputatus suae Provinciae Romanae ad Congregationem Procuratorum (annis 1902 et 1913); itemque bis ad Congregationem Generalem missus est, anno 1906 a sua Provincia Romana, anno 1915 a Provincia Taurinensi, ubi tunc erat Rector Collegii Maximi Cheriensis. Fuit etiam Viceprovincialis dum Praepositus Provinciae Romanae, P. Aloisius Caterini, suam Brasiliensem Missionem invisebat.

Magna prudentia fuit eiusque animi robur ita cum suavi quadam discretione sociabatur, ut revera « dilectus Deo et hominibus » fieret.

P. PETRUS FINLAY
(1851-1929).

Si Pater Querini impeditus est quominus studia per totam vitam coleret, voluit Deus P. PETRO FINLAY (Prov. Hibern.) et vires et tempus concedere ut memoriam sui relinqueret, exemplar viri ad studia metaphysica nati et in eis per vitam diuturnam occupati. Ipse dicebat P. Rectori paucis ante mortem diebus: « quod ego mente defecerim, signum primum erit si iam non possum aliquam relationem transcendentalem intellegere », ex iis nimirum quas in sua schola tractare debebat.

Septuaginta octo annos erat iam natus, et tamen scholis mense iulio 1929 tota mentis et corporis sanitate et viribus finem fecit, et quamquam in aestate morbo aliquo aut potius infirmitate tactus est, refecit se tamen et scholam quam dicunt brevem et reliquas primas scholas « De Ente Supernaturali », quam materiam in deliciis habebat, docuit magno discipulorum gaudio, qui eum tractatum a Patre et maxime amari et perfectius tractari solere noverant et suis oculis perspiciebant; enituit singulariter ea praelectio die 2 octobris habita quam suspicari non poterant ultimam futuram.

Constanter, adeo ut vix semel scholam omiserit, et novis semper animis, per quadraginta annos hanc scholam matutinam rexit in Milltown Park, Provinciae Hiberniae Collegio Maximo, et habebat hoc omnino in suis praelectionibus, quod discipulos non tam suorum verborum repetitores, neve in verba magistri iurantes reddebat, quam ad reflectendum et ad novas inter auditas res relationes quaerendas allectos; quo fiebat quod cum eum formationis fructum in se sentirent, grati animi sensibus memoriam imbutam tota vita conservarent; liberam viam relinquebat discipulis in materiis probabilibus defendendis, sed quam quisque sibi selegisset, eam acerrime ipse impugnabat, solitus dicere theologos non esse pascendos cibis mansis ac prope liquefactis. Laudabatur in eo singularis quaedam perspicuitas et nitor in dicendo de rebus vel complicatissimis narrantque eius auditores accidisse sibi non semel quod, cum ipsi in Wirceburgensibus et P. de Ripalda ali-

quid legissent quod plenum aenygmatibus et captu nefas putassent, post explicationem Patris Finlay ita rem caperent, ut eundem locum legentes etiam dubitarent num eadem res esset quam antea capere non potuissent. Latinam vero linguam expeditissime et magna cum perfectione loquebatur, quae praelectionem et clariorem reddebat et suaviorem. Etiam postremo anno scholas ita praeparabat quasi primum tunc eam materiam doceret aut de incerto eventu sollicitus esset.

Praeparationem vero remotam dedit ei Providentia Dei magnam; in eo ipso Collegio Miltown Park docuit triennio Logicam et Metaphysicam, tum in Collegio Provinciae Angliae Theologiam biennio 1885-1887, tandem in Collegio Maximo Woodstock (Prov. Maryl.-N.E.) duobus annis Theologiam, quo cum P. Camillo Mazzella (Prov. Neapol.), Cardinali futuro, et aliis Patribus Theologis fuit anno 1887 evocatus. Praeter haec munera, fuit in Universitate Nationali Hiberniae Professor Theologiae, cum haec Cathedra illic est anno 1912 instituta, per undecim annos; Rector nostri Collegii Maximi ad Miltown Park quinquennio ab anno 1910.

Ortus Calvan in dioecesi Kilmorensi in Hibernia anno 1851, ingressus erat Societatem 15 annos natus, iunioratum in Gallia ad St. Acheul fecit, philosophiae primis duobus annis in Collegio Stonyhurstano Provinciae Angliae studuit, tertio cum PP. Germanicis in Collegio Maria-Laach. Docuit in magisterio linguas classicas et recentes et aliquantum de scientiis. Theologiae cursum partim in Domo Poyannensi in Gallia, ubi PP. Hispani tunc exsulabant, partim Dertusae cum Patribus Provinciae Aragoniae perfecit.

Cupiebant iam dudum hi Patres antiqua de re theologica certamina renovare et tentare num etiam in restituta Societate haberi cum fructu et honore possent; tandem anno 1882 in Collegio Dertusano constituerunt binos actus publicos de universa Theologia celebrare; invitati sunt optimi quique theologi de clero saeculari e proximis dioecesibus, adfuerunt de Nostris aliarum Provinciarum, inter alios, P. Radulphus de Scorraille (Prov. Tolos.) Rector Collegii Nostrorum in urbe Uclés, PP. Paulus Villada et Modestus Fernández ex Provincia Castellana; ex Veneta, tunc in Hispania exsule, PP. Iosephus Mauri et Guido Mattiussi. In nostro Templo eleganter ornato, secundo quidem die defendit P. Raimundus Faura, quem impetebat inter alios P. Mattiussi; primo

vero die augusti, arguentibus, praeter alios, mane Patre Villada, Praefecto Studiorum Collegii Maximi Oniensis, vespere Patre Ioanne Muncunill, defendebat feliciter theses P. Finlay, qui iam tunc praelia futura praeludebat et meditabatur.

In sua Hiberniae Provincia tanti fiebat, ut iam inde ab anno 1896 saepissime in Congregationibus Provincialibus Romam mittendus electus sit: atque ita adfuit Congregationibus Generalibus XXV (a. 1906), XXVI (a. 1915), et XXVII (a. 1923), in qua Praeses fuit Commissionis pro studiis: item Congregationibus Procuratorum annis 1896 et 1927 aderat, in illa quidem iunior inter omnes Procuratores, in hac omnibus senior (1).

Obiit Dublini in Collegio Maximo, quod tantopere illustraverat, die 21 octobris 1929.

FR. IOANNES MANCINI.
(1844-1928).

Exemplum magnae constantiae et pro rebus nostrae Societatis omnimodae abnegationis nobis omnibus dedit per annos 51, FR. IOANNES MANCINI (Prov. Rom.). Annis 41 aedituus fuit huius amplissimi templi S. Ignatii, cuius in administratione et conservatione quantum laboraverit, facile quisque intelligere poterit, si considerabit magnitudinem aedium et elegantiam, frequentiam missarum a sacerdotibus multis ex locis venientium celebrandarum, sollemnia aut identidem per annum aut ob extraordinaria adiuncta acta, sacella S. Aloisii et S. I. Berchmans quae ipsa iam unum hominem requirerent.

Plus 120 gradus haec ab ecclesia separant, at quoties ea singulis diebus percurrere debebat, tum ad sacra apparanda aut ordinanda multorum qui illic ea facere cupiebant, tum ad sacella ipsa tergenda, immo vero ad ea multis visitatoribus ostendenda!

In immenso vero templo, tot magnificis altaribus et imaginibus decorato, cuius mundities tota sibi, fere soli, commissa erat, tot confessionalibus, tot missis, quibus servire ipse maxime amabat (aliquando etiam septem missis uno mane), erat certe ubi vi-

---

(1) Cfr. supra, pp. 58, 546 (nota 5).

res exhauriret; quod si accedebant festa, ad quorum apparatum templum est non mediocriter donatum, incredibilis labor adiciebatur Fratri; satis sit dicere ad sollemnia Quadraginta Horarum die Sabbati Sancti fere duorum mensium laborem requiri ut exstruatur et deponatur SS. Sacramenti altissimus thronus.

Audacissime et periculi semper ignarus vel remotissimos angulos ipse tergebat, polibat, fabrum lignarium, ferrarium, pictorem agebat, solitus dicere Fr. Coadiutorem in Societate ad omnia paratum et aptum esse debere; ter capite vulneratus est, semel crure, quo per menses decumbere debuit; id vero non impedivit quominus post aliquot hebdomadas in altissima templi fenestra munditiei causa inequitans conspiceretur, terrorem incutiens spectatoribus.

Multos etiam labores tulit ad nova opera in templo procuranda, qua in re, non solum cum Superioribus multa egit qui eius et zelo et industriae multum fidebant, sed etiam cum magistratibus et populo ad magnas eleemosynas colligendas; revera et pavimentum novum templi, et gradus ad communionem, et ipsae campanae, omnibus fatentibus non parum debent sollicitudini et industriae huius abnegati Fratris Coadiutoris.

Laborabat interdiu quantum poterat, dormiebat noctu non quantum moris aut necessitatis est, sed quantum per laborem licebat, non raro in ipsa sacristia super tapetas quos praeparabat ad festa; cubiculum habebat pauperrimum, in quo ipse foramen fecerat versus Ecclesiam, quo plus semel fures sensit et fugavit, et semel etiam corripuit custodibusque tradidit.

Vixit suo labori et obedientiae; cum claves tradebat suo successori, « vide, inquit, in pace tua exercitia spiritualia iam non poteris facere; sed corripe rosarium, omnia cum ipso recte habebunt ». Sic ipse faciebat, sic coronae recitandae et alicui levi labori datus vixit postremis annis, iam caecus, at laetissimus et grati animi sensibus in Societatem redundans; iisdem affectibus et coronam manu tenens in requiem sibi ex I. Christi meritis debitam ingressus est in aeternum regnaturus (1).

---

(1) F. Bortone S. I., *Giovanni Mancini della C. d. Gesù*, cenni biografici, Roma, Chiesa di S. Ignazio, 1930.

Nonnulli alii illustres defuncti.

Provincialis erat nec is senex nec viribus ut videbatur fractus, cum paucorum dierum morbo raptus est suae recenti Provinciae Pol. Mai. et Maz., R. P. Ioseph Sawicki.

At medicorum, qui de eius valetudine consulti sunt, iudicio, congestione sanguinis ob nimium et non interruptum laborem provocata morbum et mortem subiit. Nihil enim senserat ante diem 7 ian. 1928, et etiam postquam male se habere incepit, perrexit laborare tota illa animi contentione quam eum docebat magnus in Societatem amor et ardens desiderium gloriam Dei in totis illis regionibus et singulariter in Missione Orientali promovendi. At subito operationem appendicitis chirurgicam faciendam esse et quidem sine mora repertum est; subiit igitur eam nocte ipsa 9 ian., inter horas 23 et 24, eiusque eventus tum illo ipso die tum sequentibus duobus aliis spem dabat, ne dicam certitudinem, felicis augurii. Solum ipse aegrotus de eo dubitabat, dieque 12, cum loqueretur de nocte cum vigile transigenda, « cras, inquit, non erit necesse ». Nimis vera nuntiabat, nam noctem egit insomnem totam, magna patientia eaque pietate et cum Deo coniunctione, qua semper vivebat quaque suos semper aedificaverat. Primo mane cum status ex improviso mutari coepisset, vocatus est P. Socius, ut ipsi ultima sacramenta praeberet. Confessione peracta et viatico sumpto, rogavit aegrotus ut extrema unctio breviore formula administraretur, timebat enim ad formam ordinariam tempus defuturum. Actus fidei, spei et caritatis, et orationem « Anima Christi » multa cum devotione ipse recitavit.

Cum post Extremam Unctionem respiratio difficilior evaderet, medici diversis iniectionibus actionem cordis excitare conabantur. Qui tamen conatus frustra fuere, quod etiam ipse aegrotus praevidit, asserendo: « nihil iuvabit ». Post horam dixit: « iam auditum perdo », « fugit me conscientia », et candelam oculis quaerere coepit. P. Socius recitare incepit orationes pro moribundis, inter quas bonus Pater animam suam Deo mitissime reddidit. Advenerunt reliqui Patres ex Residentia, sed P. Provincialis iam non erat inter vivos.

Ut omnes testantur, in labore fuit indefessus, Societati fidelissimus, suo muneri totus consecratus, et praesertim paupertatis religiosae, non obstante iuventute in opulentia peracta, amator sincerus, ut vita eius in Religione, vestes, et modus itinera faciendi omnibus manifestum reddebant. Ad cuius virtutis amorem ut subditos suos magis excitaret, tum maxime exhortationem de hac re pro visitatione futura parabat.

Inopinata mors eius magnam commotionem Varsaviae excitavit. Multi ex amicis nostris in Residentiam adventabant, ut mortem eius nobiscum dolerent, inter quos etiam Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus, qui funeribus se adfuturum promisit.

Quisquis cum P. Gulielmo Bodkin (Prov. Angl.) aut vixit aut saltem est collocutus, facile retinuit semper eius memoriam illiusque caritatis et sincerae affectionis quae oculis etiam effulgebat, et facile intelleget vera prorsus esse quae de eo ex Anglia scribunt, scilicet, eius indolem in eo maxime constare, in fidelitate et constantia affectus cum his in quos vel cum quibus laborabat. Hinc eius successus et verus apostolatus, praesertim ope epistularum exercitus; hinc amicitiae, eleemosynae ad Societatis opera, adiutores ad illa non parva quae ei peragenda obtigerunt; sed hinc etiam magnus labor, in dies maior, siquidem numquam eas sanctas amicitias neglexit; et omnium iudicio hinc etiam eius mortis acceleratio. Omnino sui oblitus, totus erat aliis, in docendo, in regendo, in omni caritatis exercitio.

Primum per duos annos, cum vitam inter summas angustias inibat Collegium Loidense (Leeds); tum Rector factus Collegii Stonyhurst ab anno 1907, in quo fortiter per annos novem laboravit: nam numerus alumnorum elevandus erat, et cum elevatus est hoc ipsum angustias augebat: deerat novis locus, omnia erant amplificanda, non suppetebat pecunia: sed aedificata sunt quae necessaria erant; praeterea, idque maxime intererat, cum Patre Vignaux studia erant promovenda, reformanda, tota ratio domestici ordinis accommodanda; bellum europaeum locum dedit et tempus his perficiendis quae adhuc restabant.

Sed ecce eodem illo bello Collegium Beaumontanum multa passum fuerat; ad illud in pristinum statum instaurandum, P. Bodkin evocatus est et eius regimini praepositus anno 1917, quo in loco novas etiam perpetuasque iniit amicitias, novas constructiones et novam Collegii vitam.

Anno 1921 Provincialis suae Provinciae designatus, interfuit Congregationi Generali Romae, quo iam antea venerat anno 1920 ut Procurator. Dum eo munere fungebatur, duo maxime eum occupaverunt: visitatio Missionis Zambesianae, numquam eo usque facta, quam ipse magna assiduitate et constantia obivit iussu Patris Nostri, et Collegii Maximi suae provinciae prope Oxford institutio, ubi iam a primo die 150 e Nostris habitare debebant; utque melius se pro Societate sacrificaret, relicto Provincialatu, renuntiatus est primus eius Domus Rector, cuius in difficultatibus superandis nihil sibi pepercit, sed usque ad corporis virium ruinam sese devovit et consumpsit. Caritatis suae vestigia multa reliquit impressa.

Ad sua opera pro Societate multum fidebat divinae Providentiae; et cum Superior erat, solebat, si pecunia egebat, aliquam bonam eleemosynam facere dicebatque se experientia nosse Deum semper hanc multiplicatam restituere solitum esse.

Totius Missionis Peruvianae Vicesuperiorem amisit Limae Provincia Toletana, Patrem Carolum Martínez (Prov. Tolet.), a paucis mensibus designatum, manu, ut aiunt, ad aratrum posita mortuum. Nam cum ex corde laboraret et feria V Maioris Hebdomadae ob contionem habitam doleret pectore, voluit nihilominus in Parasceve officia matutina persequi et meridie ad trium, quem vocant, horarum sermonem conscendere suggestum. Nihil in voce, in aestu, in animi commotione desideratum. Sed ut primum exscendit, defecit in subsellio sacristiae; illico, absolutione et sacro oleo donatus, Christum suum ducem quam vivus secutus fuerat, moriens etiam eo die est prosecutus.

Nondum continuerant eius Societatisque laudum sermones tali Patre amisso, cum P. Ildephonsus del Olmo, venerabilis senex, eius successor, non iam placide sed festive morti occurrit; medicum orabat ne suis artificiis vitam protraheret, mortem vocitabat transitum ad dulciorem vitam; caelum! clamabat, o fortuna! o beatitudo!

In Societate, absolutis studiis ceterisque de more peractis, fuit perpetuo superior: Rector Collegiorum ter (Cádiz, Lima, Arequipa); Vicesuperior Missionis Perù-Bolivianae (1893-1903), Rector Quiti (1903-1905), Superior Matriti (1907-1910), Rector Malacae (1910-1913), Superior Missionis Perù-Aequatorianae-Bolivianae (1913-1916), Superior Missionis Perù-Bolivianae simulque Rector Collegii Limensis (1916-1920), Superior Residentiae Limensis (1923-1928) ac nuperrime ut vidimus Patris Martínez successor.

In his omnibus administrationibus fuit vir magnae observantiae, integri characteris, verbis parcus, magna moliens. Ut in Peruvia consistamus, templum Limanum S. Petri, Collegium Immaculatae, sacra aedes S. Thuribii; in urbe vero Arequipa Collegium S. Ioseph, et Seminarium Societatis Minus sunt eruntque ei pro monumento. Quod si his beneficiis exterioribus interiora iungimus, summam conficiemus soli Deo notam. Nunc in poenitentiae tribunali, nunc pro suggestu, nunc ad infirmorum conclave, ubique fiebat mentibus lux, cordibus pax, spiritibus solamen, sensus caelestes excitando et ad vitam elevando aeternam. Respondebat finis initiis; cum ingressum in Societatem rogaret, nec a Superioribus hispanis posset obtinere, qui, fortasse quia familiam eo egere putassent, Ildephonsum admittere renuebant, contulit se Romam, pedes totum iter fecit, et in Urbe id obtinuit quod tantopere desideravit.

Nec minus senex nec minoribus meritis onustus, in America etiam, Metellini (Prov. Columb.) sancte migravit e vita P. ALOISIUS GAMERO, 87 annos natus quorum 72 in Societate posuerat, ex Nicaragua oriundus.

« Hic vir (sic inde scribunt) nostrae Provinciae insignia munera detulit. Fuit nostrae, tunc Missionis, prudens Superior eamque auxit provexitque: Collegiorum Rector, multis officiis in bonum commune functus est, praecipue vero, ut Nostrorum — nec unius aetatis — sapiens institutor, iuste titulo gaudet *exorientis Provinciae Fundatoris*. Virtus eius heroicis actibus non caruit: bis exsilium (e Guatemala et Costa Rica) sustinuit: non communi humilitate, devotione, prudentia, verborum suavitate claruit: ex eius persona odor quidam sanctitatis manabat ita ut *sanctus* vocitaretur ».

« Ipse Antioquiae Provinciae, cuius Metellinum caput est, civilis Gubernator, sollemni decreto exarato participavit in nostro luctu, ac P. Aloisii Gamero memoriam publice populi gratiae commendavit. « Nam (inquit) fuit Sacerdos eminens, cuius vita clarissimarum virtutum praxi resplenduit, cuius vires publicae educationi ac labori sociali sunt impensae, et societati inaestimabilia beneficia contulit. Decet autem Rempublicam, eos colere qui studio apostolico iuventuti in moribus et doctrina formandae efficaci labore operam navarunt ».

Missionis Zambesianae Fundator, optimo iure dici potest ac debet, indefessus ille operarius, P. FRANCISCUS RICHARTZ (Prov. Germ. Inf.), qui die 23 maii 1928 ad caelestes sedes migravit. Iuxta pedes altae crucis in templi atrio « Chishawasha » (Salisbury) sepultus est. Eam crucem ipse erexerat atque in eam incidi fecerat: « Absorpta est mors in victoria ». Haec sententia 36 annorum et laborum huius Nigritarum apostoli bene compendium dici potest. Nam primis suae Missionis quattuor annis, duos tantum homines ad fidem traduxit, postea ex « magorum » regionis timore iam nullus religionem nostram audebat suscipere. Pater per annum vixit in tugurio misero, adeo ut inde frequentes febres contraxerit. Post insurrectionem quae videbatur Missioni finem allatura et in qua Pater in sua ipsius domo quaesitus et obsessus est, conversae sunt res, atque fructum laborum suorum videre coepit. Haec abnegatio et perseverantia triumphum magnum ei pararunt, nam hodie « Chisawasha » cum suis adnexis sex millia Christianorum recenset. Optimum venturis Missionariis exemplar!

In Fluminensi Collegio S. Ignatii e vivis excessit die 24 sept. anni 1928 P. IOSEPHUS M. DE MADUREIRA, quem, etsi tota Viceprovincia (Brasil. Centr.) doluit amissum, nam multa bona praecipuis eius Domibus contulerat, sed maxime eum desideravit urbs Neofriburgensis,

ubi plus 20 annis magna animi contentione zeloque suam operam posuit.

Sorocabae ortus in Statu S. Pauli anno 1865, in Ituensi Collegio educatus est, in quo Nostros illos e Provincia Romana PP. Giomini, Chiari, Galanti aliosque benemeritos magistros habuit in litteris et spiritu, eorumque exemplis ad vitam religiosam allectus, Romam venit, 16 annos natus; et tempore sane quo Societas multa ubique patiebatur, cooptatus inter Nostros est die 17 ian. 1882. Neapoli partem tirocinii; reliquam et biennium iunioratus Castri Gandulphi exegit. Absoluto in Universitate Gregoriana philosophiae cursu anno 1888, ita probatus est ut ad eius disciplinae repetitoris munus fuerit destinatus a Superioribus in Collegio Germanico-Hungarico; fulgebant revera eius singulares dotes et crescebant assiduo in eo positae spes, siquidem vix Theologiae quadriennium absolvit, cum in eadem Universitate factus est professor philosophiae, quoad anno 1898 Tertiae Probationi vacare potuit in nostra Domo Sartiranensi prope Merate (Prov. Ven.).

Hic in cathedris prosperus successus, et vita illa tota, quam in Italia per 18 annos gesserat, sperare permittebant eum in studiis ecclesiasticis futurum eximium professorem, et quidem Romae, quasi vellet Respublica Brasiliensis ea ratione aliquomodo officia rependere tot et tantorum virorum, qui ex Provincia Romana in eas terras convolarant. Sed divinae Providentiae et Superioribus aliter visum: anno 1899 in finem vergente solvit in Brasiliam; illud erat suis sudoribus designatum stadium. Praefectus et magister humanitatum in Collegio Novae Friburgi, et paulo post etiam minister eiusdem Domus, studia et disciplinam promovit et maxime P. Rectorem adiuvit in novo Collegio aedificando quod Venerabili P. Anchieta, cuius causae beatificationis multum favit P. Madureira, erat consecrandum. Iam eo constituto, Rector designatus est Collegii, quod eum educarat, Ituensis; quem locum anno 1911 cum Rectoratu Collegii Anchieta mutavit: ibi erat Rector, cum PP. Nostros e Lusitania expulsos excepit ea quam a Deo acceperat animi amplitudine et vera et germana caritate; et illic etiam multa ferre et perpeti debuit ob iniustas paedagogicas leges, contra quas non semper potuit nostrum Collegium defendere. Indefessus fuit in rebus Societatis iuvandis et promovendis; conservavit et auxit in multis illud Collegium, cumque iam videbantur omnia perfectiora facta, translatus est in urbem Rio de Janeiro, in eiusque Collegio Rector, virtutes illas ac animi dotes et experientiae documenta applicuit, non solum in eius Domus profectum, quae et numero et bonae famae aestimatione et in alios influxu multum est aucta, sed etiam in totius societatis Fluminensis bonum, praesertim vero in catholicae paedagogiae defensionem: reiecit semper praesidis munus

in ea, quam fundaverant, « Paedagogica Consociatione secundariae disciplinae », sed ut vicepraeses eam veluti humeris sustinuit totam quandiu in ea urbe vixit, patrias glorias laudibus extulit, et festa ob centenarium patriae autonomiae per se et per suum Collegium et per multos alios in urbe maximopere decoravit.

Videbat verum esse illud quod a multis illic repetitur et a D. Ioachimo Nabuco fuit scriptum: « Catholicismus in Brasilia, longo temporis spatio, dum ea formabatur, fuit Societas Iesu; immo vero non solum Catholicismus, ipsa etiam inventio et exploratio, ipsa nationum institutio in America. Vix crediderim unitatem Brasiliae futuram nisi una fuisset Societas Iesu; verisimillimum est hodie non futuram fuisse Brasiliam nisi, vivo S. Ignatio, Lusitania facta fuisset Provincia Societatis Iesu »; videbat scilicet historiam eius nationis, ut multi repetunt, conscribi non posse nisi prius redigatur historia Societatis illis regionibus; ad patria igitur festa celebranda, ipse qui paedagogus tota vita fuisset et Societatis paedagogiam optime calleret, novissetque Societatem illic multum in ea re laboravisse, qui scriptor ex officio numquam fuisset, accinxit se operi scribendo, relictoque Rectoris munere, secessit in urbem S. Pauli, magna animi alacritate auctus, ut ipse dicebat, quia a Patre Nostro fuisset in illud opus singulariter impulsus.

Auspicato accidisse semper credidit quod non potuisset illum librum eo anno 1922 edere; sequenti anno, mutata destinatione Collegii, quod tanto amore exstruxerat et diu rexerat, positisque in eo novitiis, iunioribus et philosophis, missus in eam Domum est P. Madureira et inter magistri et Exercitiorum directoris officia, dum antiquos alumnos congregabat et instruebat in aciem, dum « arcae seminarii » provehendae satagebat, retractare et reficere potuit totam sui operis materiam, ut in amplitudinem duorum voluminum cresceret. Illud mortem sibi attulisse dicebat, sed simul gratias Deo agebat, quod hoc sui erga Societatem amoris pignus relinquebat, opus, aiebat, si minus valde novum, at certe archivum bene fundatum, unde alii ad meliora opera possent multa haurire. Concessum Patri est ut duo ea volumina tanquam pars Actorum « Congressus Internationalis Historiae Americanae » ederentur nullo sumptu, servata auctori facultate ut typis iam compositis uteretur ad novam editionem sibi faciendam; immo etiam ab expensis chartae, laboris, ligaminis liberatus a ministerio publico nationali est, ope D. Iosephi A. Sayaô de Bulhoês Carvalho. (1)

---

(1) J. M. de Madureira, *I° Centenario da Independencia do Brasil*, 1822-1922. A liberdade dos Indios. A Companhia de Jesus, sua Pedagogia e seus resultados; 2 vol. Rio de Janeiro, 1927-1929.

Fuit P. Madureira vir magna mentis sed maiore cordis vi; capiebat non minus speculativas quam practicas quaestiones, et sicut erat simplicissimus et pectore aperto in omnes qui humiliter et sincere secum agebant, ita imperabat et veluti regnabat in difficillimis quibusque tractandis aut exponendis, cum id auditoris natura superba aut nimis sui amans requirebat; referebat eius consuetudo simplicem quandam maiestatem, ex magnanimo corde enatam, qua sibi auctoritate quadam suavi subiciebat alios et ad se adducebat, maxime iuvenes, et deinde amoris et verae fiduciae vinculis sibi coniunctos retinebat; ut patrem eum omnes habebant, vel potius fratrem maiorem; amicitias coluit ad bonum spiritualem efficacissimas; sic paulo ante mortem in bonam viam tandem reduxit medicum domesticum, diu amicum, quem amore ad Christi pedes deiecit.

Libris, libellis et plurimis articulis conscribendis se totum applicavit postremis annis P. Eduardus Lecompte (Prov. Can. Inf.), postquam ab onere regendi Collegii Scti. Bonifatii ob fractam valetudinem cessavit a. 1914.

Et opus quidem *L'histoire de la C. d. G. au Canada, au XIX et au XX siècle* non adeo ei difficile videri potuit, cum in formanda ea provincia ipse tam magnam partem habuerit: praefectus collegiorum sex annis, Magister nov. 9, Superior Missionis 4, Primus Provincialis cum erecta Provincia est 1907 usque ad an. 1912. Corporis viribus semper debilis, acerrimis animi viribus pergebat porro semper omnibusque suis operibus illum vigorem et solidam structuram imprimebat, quae ex suo virili et in fide roborato spiritu derivabat et diffundebatur. Praesertim vero cum Magister nov. fuit, quo in munere urgebat assiduo illud *age quod agis*, et *agere contra*, simul cum fidelissima cuiusvis vel minimae regulae observatione et ad magna subeunda praeparatione. *Non multa sed multum* eius tessera in gubernatione fuit; et ut Superior Maior maxime adlaboravit in excellentibus viris comparandis ad nostros et externos docendos. Quantum ipsi tota Provincia debeat testantur plurimi e Nostris, quos non solum mediis externis ad discendum aut laborandum locupletavit, sed etiam saepe seipsos sibimetipsis revelavit, spe fractos sublevavit et in non speratam metam adduxit.

Maximae aedificationi erat videre acriter laborantem illis postremis 16 annis hunc Patrem, qui iam abhinc 40 annos habuit aliquos morbos (haemorrh., cardiac., arthrit.), nunc autem etiam phthisi laborabat, et conscribentem, praeter illud opus quod laudavimus, etiam *Les Anciennes Missions de la C. d. J. au Canada, Les Missions modernes de la C. d. J. au Canada, Nos voyageurs, Le P. Louis Leboeuf S. J.*

et alia multa. A sua matre moriente id consilii acceperat: *numquam deviare.*

Non aspernandam operam adhibuit ad Societatis et Ecclesiae Historiam illustrandam P. Ludovicus Delplace (Prov. Belg.), qui 3 octobris pie obiit Truncinii in senectute bona (1843-1928). Diu cum historiam ecclesiasticam Lovanii docuisset et aliquamdiu Substitutum Secretarii Societatis pro Assistentia Germaniae et Praefectum archivi egisset, praeter multa alia scripta, praesertim historica, non pauca edidit in utilitatem communem Societatis, quorum praecipua sunt: *Synopsis Actorum Sanctae Sedis in causa Societatis*, 2 vol., Florentiae 1881 et Lovanii 1895. *Oliverii Manarei De rebus Societatis Commentarius*, Florentiae 1884. *Selectae Indiarum epistolae nunc primum editae,* Florentiae 1887.

Et haec quidem tacito nomine, vel eiusdem appositis solis litteris primis; expresso vero nomine: *Histoire des Congrégations de la Sainte Vierge*, Lille 1884. *Le catholicisme au Japon*, 2 vol., Malines 1898 et Bruxelles 1910.

Piissime semper vixerat; devotioni et lectioni se dedit cum iam senem memoria defecit, et qui diu rogabat Deum ut se iam de mundo eriperet, dulcissima morte est in caelum egressus.

Ne iam historicorum (1) seriem interrumpamus, P. Aloisius Cheikho, in Mesopotamia natus, Beryti mortuus pridie festum Immaculatae Conceptionis, quanti haberetur ab omnibus in rebus arabicis vel parum peritis, cernitur ex funebribus exsequiis ubi, quidquid alicuius pretii inter ecclesiasticos et civiles viros, inter catholicos et non catholicos erat, in eo honorando decertabant, inque eis ipse Praeses Minister Libani, qui etiam super eius cadaver nomisma deposuit *du mérite Libanais*, unam ex summis eius loci decorationibus; tum vero praecipue patet ex telegrammatis postridie receptis ex toto orbe terrarum ubi ulla arabica cognitio est: Damasco, Jaffa Aegypto, Friburgo, Berlino, Parisiis, Kieff, et ex scriptis confestim redactis in Gallia, Germania, Russia, Statibus Foederatis, Italia, Hispania, Helvetia.

Iuvenis adhuc et ante Theologiae cursum, dum litteras latinas et arabicas tradebat Beryti, cum vidisset quam imperfecta fuisset eo

(1) Invitat hic locus ipse, ut de Patribus qui ex officio Historiam Societatis scripserunt aliqua conscriberentur, quorum plures mortui his annis sunt, ut P. Antonius Astrain, P. Henricus Fouqueray, P. Bernardus Dühr, P. Franciscus Gaillard, P. Iacobus Terrien; sed fortasse praestat eos omnes ad alium fasciculum reservare.

usque linguae arabicae addiscendae ratio, edidit sex voluminibus « Selecta » ad scholas, quae adeo grata acciderunt ut etiamnum adhibeantur et aliquod volumen etiam tricies edi debuerit. Addidit his alia duo volumina ad magistrorum onus in docendo levandum, quibus apposita sunt statim alia duo de Litteratura et Rhetorica arabica.

Absoluta Theologia et Tertia Probatione in Europa, ubi praeter linguas modernas, non pauca didicit et scripsit Parisiis, in Hollandia, alibi, regressus Berytum est, ibi totum reliquum vitae tempus acturus. Bibliothecam arabicam instruxit; quae vix paucos libros arabes haberet cum ipse pervenit, ea nunc plus 30.000 habet cum 3000 codicibus mss., ab ipso obtentis et magnam partem ab ipso transcriptis.

Ut scriptor, ne in multis aliis immoremur (1), periodicum arabicum instituit *Machriq* (Oriens); in eo assiduo scribebat, adeo ut ex 25.000 paginis quas cum ipse est mortuus haberet, ternae ex quinis ab eo perscriptae dicantur.

Sunt imprimis investigationi scientificae dedicati articuli, multi etiam vulgarizationi quam vocant, et non pauci polemici, quibus acatholicos, massones praesertim, creberrime lacessebat.

Sed in Ecclesiae Catholicae bonum, germanus filius Societatis Iesu, opem suam vitamque magnifice contulit ea ratione, quod profundis studiis copiosisque publicationibus hoc et intendit et obtinuit, ut Christianismum hucusque ignoratum aut reiectum, in arabicis litteris fulgentem exhiberet.

Ac de tempore quidem post Hegiram id obtinere, etsi novum erat, at non videbatur adeo difficile, et prodiere alius post alium eius libri: *Anthologia de poetis arabibus christianis post Hegiram*, tum *Codices auctorum arabum christianorum*, ubi plus 900 auctores recenset, deinde *Litterae arabicae saeculo XIX*, tandem *Litterae arabicae primis 25 annis saec. XX*.

Non satis erat hunc mundum christianum ex muslimicis tenebris exsuscitare; progressus ulterius est: opere *Christianismus et Litterae arabes ante Islamum*, multa repperit et ostendit vestigia christianae religionis late diffusae per omnes illas regiones ante tristem adventum illius fatalis prophetae.

Decorabant haec omnia merita magnae virtutes religiosae et domesticae, summus amor laboris, magna caritas, in nostros praesertim, pax spiritualis inter gravissimas angustias; maxime tempore belli, cum

(1) Ea sunt ex. c.: *Elementa Gramm. arabicae cum Chrestomathia*, ab ipso cum P. Alph. Durand conscripta; *Annales Eutychii* (seu Ibn al-Batriq), *Chronicon Arabicum*, et *Historia Agabii* (seu Membidj) haec tria in *Corpus Script. Latin.* inserta; *Historia Beruti* antiquissima, quae tempora *Cruciat rum* maxime illustrat, alia.

iamiam deportandus a Turcis esset, tamen ob insignia merita non solum retentus Beryti est, sed etiam nostros inopia vexatos ipse aluit tritico, frugibus, oleo, saccharo, aliis, quae ipse ob munus publicum sibi obtentum recipiebat.

Amabat dicere saepenumero, etiam acatholicis, se totam suam formationem Societati debere et mediis quae sola Societas ei potuerat suppeditare.

Fuit vir pius ac Deo coniunctus necnon caritate proximi excellens P. Ladislaus Szczepanski (Prov. Pol. Mai. et Maz.) et ad omnia officia erga alios paratus, quorum si aliquem unquam offenderat, tanta humilitate et affectu veniam petebat ut nemo ei resistere posset. Labori numquam pepercit, etiam quando morbo opprimebatur, cuius diligentiae testimonio esse possunt notae illae quas reliquit, ubi tempus singulis operibus impensum singulis diebus adnotabat.

Ingressus Societatem est quattuordecimo aetatis anno; in Iunioratu studia humanistica perfecit, lauream que lycei est adeptus; studiorum Societatis curriculo feliciter expleto, sacris ordinibus auctus, missus est in Syriam, Berytum, ut studiis linguarum semiticarum et archaelogiae orientalis in inclyta illa Nostrorum Facultate orientali, optimis magistris ducibus, aliquot annis incumberet. Non fuit illic solis libris contentus sed, ad melius ea ipsa cognoscenda, multa itinera eaque fructuosa fecit in Libanum, Palaestinam, Arabiam Petraeam, Aegyptum, Sinai; Oeniponte biblicis studiis coronam imposuit et anno 1909 professor renuntiatus est archaeologiae et geographiae Palestinae in nuper erecto Pontificio Instituto Biblico; ob bellum discedere in patriam coactus, privatim studiis et libris scribendis se tradidit, quoad anno 1918 in universitate theologica Varsaviensi, tunc instituta, et docere et multa deinde stabilire ut eius decanus coepit; anno 1921 exiit in Palaestinam denuo, unde reversus anno 1925 semestrem Romae archaeologiam biblicam docuit. Sed iam vires corporis defluxerant, non potuit scholam inire in Domo Ierosolymitana quo erat destinatus: constitit Oeniponte, et cum iam videbatur ab operatione chirurgica convalescere, subito est nobis ereptus.

Iam cum theologiae studio incumbebat, linguae polonicae ditandae cupidus, scripserat librum sat amplum de novo indice librorum prohibitorum, et articulos de iuris canonici variis materiebus.

Fructus eius priorum in Orientem itinerum fuerunt duo libri: alter de Arabia Petraea, de Sinai alter, primo quidem separatim polonico idiomate compositi, sed dein uno volumine lingua germanica comprehensi. Quaedam partes istarum elucubrationum etiam arabice et italice prodierunt. Romae in Instituto Biblico cum doceret, ad usum

alumnorum composuit Geographiam Palaestinae antiquae, cuius dum nova editio imprimebatur, ipse mortuus est, ut opus ab aliis iam ad finem perduci debuerit.

Immediate ante bellum ediderat sumptibus P. Inst. Biblici lingua polonica harmoniam evangeliorum et deinde iam in Polonia novam versionem Evangeliorum e lingua graeca cum commentario et introductione, ac praeterea aliam editionem minoris molis Evangeliorum una cum Actibus Apostolorum, et aliud volumen continens pericopas evangelicas in singulos anni dies secundum Missale Romanum distributas.

Ut palaestinologus scripsit de Ierusalem et Iericho prout effossionibus illustrantur, de incolis Palaestinae antiquae, de ipsa Palaestina quae Christi aetate fuerit, de Palaestina denique post ultimum bellum. Tres tandem maioris molis eius elucubrationes populos Antiqui Orientis respiciunt, Aegyptum, Babylonem, Aegaeas insulas Hethaeosque.

Ultimis ante mortem annis paravit opera, de quibus solum articuli aliquot prodiere. Luce sine dubio divina videt nunc clare et perfectius, quae hic in documentis rimari tam diligenter contendebat.

Historiae ecclesiasticae studio cum incumberet Oeniponte (Innsbruck) P. Hilarion Gil (Prov. Cast.), binis rebus ait se perculsum animo vehementer fuisse: negotiis Orientalis Ecclesiae pro qua laborare toto vitae curriculo perseveravit, et zelo in Missiones infidelium fovendas, quem florentissimum in illis mediae Europae nationibus perspiciebat, dum interea in sua patria vix quidquam in ea re ageretur.

Igitur cum Historiae Ecclesiasticae professor in Collegio NN. Oniensi constitutus fuisset anno 1909, coepit rem sine strepitu sed valde efficaciter promovere in Nostris, in Seminariis, in Collegiis, in Institutis religiosis, in tota denique Hispania et per eam in Americam Latinam. Brevi factum est, ut ubi antea duae eaeque exiles ephemerides conscriberetur de missionibus, post 16 annos, plus 45 ederentur in sola Hispania, plus 120.000 supputarentur ephemeridibus missionalibus subscriptores; pari ratione eleemosynae, preces, vocationes, missionarii numero crevere.

Atqui « P. Gil meretur iure merito appellari inceptor et fautor totius huius splendidi novissimi motus missionalis » (P. Arens). Scribebat publice Ill.mus D. Matthaeus Múgica, praeses totius rei missionalis in Hispania, in pastoralibus Litteris die 1 maio 1929 datis: « Ob foecundam initiativam, ob doctrinam assiduo datam, ob fructus laetissimos totius huius impulsus missionalis, laudis hic mentionem fa-

cere debemus R. P. Hil. Gil, fundatoris ephemeridis *El siglo de las Misiones*. Ex quo enim ea apparuit anno 1914, apparebant deinceps alia post aliam multae aliae in diversis religiosis Institutis, suas cuiusque missiones fovere cupientibus, constituebantur officinae sartoriae et virginum associationes, pro missionibus laborantium, academiae erigebantur in domibus clericorum, collegia invasit triumphans cogitatio missionalis ».

Suscepta Unctione Extrema cum se iam proximum morti crederet, dixit cuidam Patri P. Gil: « laetus morior, nam spero Dominum rationem habiturum sinceritatis et amoris quo pro missionibus et pro unione ecclesiarum adlaboravi. Institutio nostri *El siglo de las Misiones* est mea maxima consolatio hac hora ».

Longe numerosam subolem spiritualem post se reliquit, non solum in sua provincia, sed etiam in aliis quorum socii in Domibus tolosanis formabantur, P. Germanus Foch (Prov. Tolos.). Omittamus hic referre officia illa magnanima caritatis quae, dum bellum grassabatur, per fratrem suum, Maréchal Foch, protulit ad vitandos vel saltem minuendos horrores quos in talibus rerum adiunctis humanae res secum ferre necessario solent; fuit id quidem eius elevato animo et interiori spiritui valde consentaneum, sed opus vere suum, cui se totum mancipavit, formatio Nostrorum spiritualis est, quos ut Magister novitiorum et ut Pater Spiritualis domorum per totam vitam rexit: Victoriae primum et Uclesii (in Hisp.), deinde ad Vals, tum ad Gemert in Hollandia.

Mirabantur in eo, qui eius magisterio usi sunt, ex quibus multi magistri sunt in hac re et scriptores non vulgares, coniunctionem singularem et temperationem harmonicam, inter principia quaedam, pauca, solida, firmiter radicata nostrae ignatianae asceticae, quae ex Exercitiis S. P. N. Ignatii eruebat et assiduo inculcabat, et inter curam minutissimam et particularem tum singularum personarum quas propria directione regebat, tum in singulis personis parvarum rerum et cottidianae vitae factorum, quae ab illis magnis principiis informari, elevari, impelli volebat et satagebat. Ita res ordinabat ad metam attingendam verae humilitatis et perfecti sui despectus et sanae sui ipsius mortificationis, in quibus ipse exemplo semper praeibat.

Dicebat facete eius Superior, semel tantum in vita coactum se fuisse in virtute s. obedientiae quidquam iubere, idque in P. Foch. Nam cum senio iam confectus audivisset fratrem suum natu maiorem Mariscalchum morti proxime adesse, iussus est a suo Superiore Parisios pergere postridie; sed qui iam debilitatus esset, adeo hac oboedientia turbatus est ut nec corpore quieverit noctu nec animo, cum crederet id sibi singulariter et non merenti concedi; necesse fuit ut Superior

eum de clarissima Dei voluntate certiorem faceret, quo audito summa pax est ei in animo exorta, quam iam numquam amisit.

Eminebant in eius directione claritas, sinceritas, firmitas; cito in singulis detegebat id quod maxime corrigendum esset aut summopere confirmandum; idque ipsis aperte exponebat, usus etiam saepe vivida aliqua locutione, qua altius menti inhaereret; id deinde constanter persequebatur, revocabat in memoriam, urgebat omnibus mediis; sensus minus sanos et doctrinas aliqua ratione suspectas, cum severissime insectaretur, cumque eas singulis, nullis usus attenuationibus, panderet, sciebat nihilominus vires atque animos addere, quibus et humiles sibique cautos formabat, eosque ipsos in pugnam spiritualem diligentes et strenuos.

Pergit adhuc multos dirigere operibus vere solidis et brevibus, quae scripsit et multum leguntur quasi eius spiritus synthesis et imago: *Vita interior, Pax et Laetitia, Holocaustum, Crucis Amor, Vita occulta, Examen particulare.*

Est in nostris Annalibus speciali mentione et memoria diuturna dignus P. Hector Papi, Romae natus et in urbe Washington (D. Columbia) mortuus (Prov. Maril. - Neo Ebor.), egregium exemplum nobilissimi despectus mundi et dignitatum, quae tam vicinae ei arridebant ac etiam vel invitum ad se trahere videbantur.

Sex annis cum studuisset in Seminario Vaticano, et cum Philosophiae Theologiaeque cursum in Universitate Gregoriana (Collegio Capranicensi) confecisset, deinde in Collegio de Propaganda muneribus functus est Oeconomi et Vicerectoris.

Tum servitio Sanctae Sedis diplomatico adiunctus, nominatus est Secretarius in comitatu Illm. et Revmi. Francisci Satolli, qui primus in Americam venit officio et dignitate auctus Delegati Apostolici in Statibus Foederatis. Sed Christi humilis vestigia pressius sequi iam diu ardebat, et dimisso, post obtentam Romani Pontificis licentiam, curriculo honorum ecclesiasticorum, vitam religiosam in nostra Societate degendam humillime petiit. Annuit, non quidem sine dolore, Delegatus Apostolicus, et receptus in Societatem est die 10 Ian. 1895, Fredericopoli in statu Marilandiae, ubi sita erat domus Novitiatus totius provinciae veteris Marilandiae-Neo Eboracensis. Excepto anno tertiae probationis apud Linz in Austria impenso, ab anno 1897 usque ad annum 1929 degit in collegio Woodstock, professor scholae Iuris Canonici et iurisconsultus multorum Episcoporum totius Nationis, praesertim quinque Delegatorum Apostolicorum qui assiduo eius consilium peritissimum atque prudentissimum petierunt; quo in zeli nobilissimo exercitio usque ad ultimam horam vitae perse-

veravit, namque causa consultationis ad Washington vocatus a Delegato Apostolico, in ipsa eiusdem domo angina pectoris correptus est.

« Natus natione a nobis aliena, ex America scribunt, ita se adaptavit nostris moribus etiam in modis vivendi minutissimis, ut omnia omnibus factus esset. Vir naturali urbanitate ac caritate supernaturali insignis, transegit totam vitam velut optimum exemplar qualitatum virtutumque in regulis Societatis pro sacerdotibus laudatarum. Decessit e vita die 18 Iunii 1929, iurisperitus multum aestimatus, inter canonistas mentione dignus et religiosus omnibus amatissimus »; ita sine dignitatum periculis ea omnia officia contulit Ecclesiae quae in illis dignitatibus contulisset, et fortasse maiora, sic res sapientissime ordinante divina Providentia.

Etiam P. Ioseph M. Rubio (Prov. Tolet.) posuerat suam operam in Seminario et duobus paroeciis per aliquot annos, antequam vocationem sensit aut tandem sequi potuit.

Suavi odore eius sanctitatis diffusa est tota urbs Matritensis in cuius domo Professa totam vitam post novitiatum egit; magna in eum iam mortuum devotio excitata est, referuntur eius intercessione accepta beneficia, scripta eius vita (1), etiam de introducenda olim causa sermo habetur.

Caritas singularis eius virtus fuit, spiritualis et temporalis, in divites et pauperes, in nostros et extraneos, qua cum esset plenus, alliciebat ad se et suam directionem innumeras gentes, dilectus Deo et hominibus. Non erat magnis eloquentiae dotibus insignitus et tamen tenebat audientes et quo vellet vertebat nec erat qui ei resistere posset, nam perorabat summa sinceritate et veritate et Spiritum Sanctum per eum loqui sentiebant fideles.

Ea praesertim amabat quae cum SS. Cordis et Eucharistiae cultu essent connexa; ideo magna alacritate zeloque fovit binas illas institutiones « Custodiam Honoris » (Guardia de Honor) cuius generalis Director erat, et « Las Marias de los Sagrarios », quae bina opera ei receptum debent quod veri apostolatus saecularis fontes sunt facta, et in magnum proximorum bonum, pauperum praesertim et missionum, sunt conversa; ipse enim semper pauperes, ignaros, infirmos, solatio destitutos imprimis amavit, cuius rei exemplis tota est eius vita referta.

Grati animi ergo, mentionem omittere non possumus Patris Sigismundi Masferrer (Prov. Arg.-Chil.) qui pro novis Universitatis Gre-

(1) *El P. José M. Rubio,* por el P. Constancio Eguía Ruiz, Madrid (1930).

gorianae aedibus exstruendis earumque expensis solvendis tam strenue adlaboravit.

Qui fautor fuisset per multos annos Conferentiarum S. Vincentii a Paulo, in quarum diffusionem et vitam incredibili constantia, industria, zelo desudavit, moriebatur ad Buenos Aires eo ipso momento quo magnus Generalis Congressus Conferentiarum agebatur; quo cum perlatus esset nuntius de eius morte, Excmus. Nuntius S. Sedis qui praesidebat, multa dixit in eius laudem et « auspicato, inquit, accidit ut ei viro primas laudes funebres dicat S. Sedis Vicarius, pro qua tanto zelo his ipsis temporibus dilectissimus hic Pater laborabat ». Commodum quidem parabat se ut Romam adventaret, cum est celeri morbo correptus.

Aedificationi magnae fuit quod de eius cadavere deferendo e domo in currum et de eo in coemeterium pie concertarent anarchistae aliquot et socialistae, quos ipse olim exercitiis converterat.

Tres annos natus erat Victor Kolb (Prov. Austr.), cum a medicis declaratus est in perpetuum caecus; summo dolore affecti parentes B. Mariae V. in Sanctuario « Sorg » promiserunt filiolum suum Ei dicare si visum recuperaret. Ecce eo ipso die vir quidam ignotus advenit, se de puero audivisse, habere tamen se balsamum quoddam, quo si unctus fuerit, triduo visum recepturum. Quod ita accidit; nam post tres dies conclamavit subito puer se iam uno oculo videre, et ante alios tres dies utrisque iam oculis vidit, nec umquam iam 72 quibus vixit annis visu vel minime est defectus. Iam fere septuagenarius dicavit ei Sanctuario imaginem suam ea inscriptione: « in pignus inexhaustae gratitudinis et ad multos stimulandos ad infinitam fiduciam ponendam in bonitate et potestate dulcissima B. Virginis Mariae ».

Dotibus fuit ad contionandum praeditus sine controversia eximiis; qui tamen cum primum contionatus est, displicuit omnino; tum dixit de memoria contionem P. Bourdaloue, nec minus displicuit; at ea experientia invenit et dilexit hunc perillustrem eloquentiae sacrae magistrum, ut ipse dicebat, et ei fuit semper fidelissimus.

Ac primis quidem annis conferentiis se praecipue dedicavit, non quia ipse eis delectaretur, sed quia id adiuncta ferebant; immo vero, cum multi anno 1888 congregati essent praelati et religiosi ad media fovendi spiritus catholici seligenda, ipse primus contra has quas dicebat cryptomissiones invectus est, rettulit de exiguo conferentiarum fructu et pro magnis missionibus in magnis urbibus fortiter egit.

Tunc decem illae missiones Vindobonae habitae sunt, ex quibus restaurationem ortam esse aiunt; alia sequenti anno ad Mödling sociis

PP. Forstner et Loinger, incredibili successu; quo commotus Emmus. Cardinalis ausus est etiam de magna missione in Cathedrali S. Stephani habenda cogitare, quam rem nullo modo posse fieri multi putabant, et facta tamen felicissime est opera Patris Kolb, qui ea ratione etiam 36 magnas missiones direxit.

Nec interea cessabat in omnis generis praedicationibus, in congregationibus dirigendis (industrialium, nobilium, mercatorum, virginum), scribebat interea multa ac typis edebat, contiones et alia, et domi bibliothecam magna cura custodiebat et duplici catalogo ornabat.

Cessationem illius a se stabilitae et per 15 annos directae et 150.000 membra attingentis associationis pro prelo catholico (Piusverein), humiliter et magna resignatione tulit: « die 20, mensis 7, hora 8ª mane: valedictio Vindobonae, Deo gratias », scripsit in privato commentario; laboraverat in ea urbe 30 annis.

Multa passus est, et corpore et animo, ultimis 8 annis in urbe Graz, ubi 5 annis fuit Superior, 3 P. Spiritualis, dum plures Congregationes regeret et assiduo praedicaret. Die 31 octobris postremum contionatus est, eiusque ultima verba fuerunt explanatio et lenta commentatio verborum « ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae ». Adfuit postridie ex confessionali contioni qua de Smo. Corde Iesu centro omnium cordium agebatur, et postero die, feria VI initii mensis, SS. Cordi Iesu dicata, hora quidem 3ª post meridiem, tradidit Deo spiritum, qui pro Eius gloria tam generose laborarat. Corpus eius expositum est ad altare SS. Cordis, quod ipse faciendum curarat, ad quod singulis diebus et eo ipso mane et oraverat et missam celebrarat.

In Alaskana Missione, sicut avide concupiverat, mortuus est, qui « occulta margarita » est appellatus P. IULIUS JETTE (Prov. Calif.). Canadiensem Provinciam ingressus, obtinuit anno 1898 instantibus precibus ut ad animas Skimalium salvandas mitteretur, et post annum ad St Michel in lingua discenda impensum, indefesso labore multisque exhaustis molestiis, consumpsit 7 annos ad Mulato, 8 ad Kokrines, 10 ad Tanana. Defectus viribus et fracta valetudine deportari debuerat anno 1923 ad urbem Seattle, ubi Nostrorum cura fruens valetudini recuperandae operam dedit. Sed non otiosus etsi infirmus: nam laborabat cottidie in conficiendo dictionario linguae Ten'ak et in conscribenda historia Missionis Alaskanae; in ipso illo Collegio non parva officia praestitit ea, qua praeditus erat, magna ingenii ac prudentiae vi; reliquas vero horas, multas quidem et longas, genu flexo ante Smum. Sacramentum orabat ubi etiam cottidie totum officium recitabat.

Eius magnopere misertus P. Provincialis indicavit se velle transferre eum in suam Provinciam, ubi aëris patrii natura iuvare posset Nostrorum curas in eo reficiendo, at ille graviter commotus: « Heu, Pater, inquit, relinque, sodes, me hic, ut si Deo placuerit, revertar aliquando in meos skimales ut ibi apud eos moriar; aut si haec non sit Dei voluntas, liceat saltem mihi hic manere, et in eorum vicinia mori, in hac Provincia (Calif.) cui sunt illi commendati et ego (ab anno 1913) applicatus ».

Gratum est et consolatione plenum depromere et in oculos totius Societatis elevare carissimos aliquos FF. Coadiutores, qui, nostram vocationem et spiritum secuti, non adeo se in domesticis laboribus abdere potuerunt ut non odor virtutum suarum late dulcissimus diffunderetur.

De Fr. Francisco Garate haec addidit laudationis verba eius R. P. Provincialis (Prov. Cast.), cum mortem domibus nuntiaret: « Perfectus imitator S. Alphonsi, in vestibulo nostrae Universitatis Bilbaensis per plus 42 annos ostiarius fuit. Admirati sunt semper in eo, tum Nostri tum saeculares, ardentem caritatem, in pauperes praesertim, pietatem ferventissimam, modestiam et humilitatem in agnoscendis suis involuntariis defectibus, comitatem exquisitam, patientiam numquam perturbatam, spiritum sacrificii, assiduitatem in labore, fidelitatem, prudentiam et perspicacitatem summam in suo munere exsequendo ».

Multa continet hoc encomium, sed ea reperiet verissima quicumque recordatus eum venerabilem senem fuerit, gracilem, incurvatum, castissima facie, pia dulcedine imbutum, assistentem pauperibus, ad telephonium millies loquentem, tot iuvenum nec simplicium votis attendentem, astibus obnitentem, per domum frequenter currentem, incredibili memoria innumera negotia expedientem (erat etiam et bidellus FF. et missarum distributor), et numquam inter tam multa negotia defetiscentem.

Perseveravit in suo munere usque ad ultimum temporis momentum; tum subito dixit Superioribus se in valetudinarium secedere quia graviter aegrotaret, petivit statim sacramenta, piissime accepit, et iam, quasi venia obtenta, placidissime de hac vita decessit.

Iisdem prorsus virtutibus et mirabilibus exemplis illustravit vestibulum nostri Collegii Kalkburgensis, ubi 25 annos vixit, 20 ostiarius fuit, F. Aloisius Wieninger (Prov. Austr.), nam ab omnibus qui eam domum frequentabant, ii autem sunt multi nonnullique insignes viri,

celebratur « imitatio fidelissima S. Alphonsi, modestia et humilitas, fidelitas in votis regulisque servandis et in suo munere exsequendo, benignitas et patientia in agendo cum ceteris, verus et actuosus operibusque fulgens amor in Nostros, in alumnos, in externos, dulcis et perpetua quaedam comitas et erga Dei voluntatem devotio; omnia enata ex fervore in spiritualibus exercitiis, devotione in S. Ioseph, B. V. Mariam et SS. Cor Iesu ».

« O Pater, o quam pium, bene educatum et amabilem F. ostiarium habetis! — clamavit olim Archiabbas Melchitaristarum, cum exspectare in vestibulo debuisset P. Pámer — plus hora cum eo collocutus sum de multis quidem rebus, et quantam in me aedificationem concitavit! ». Multa his similia scripserunt plurimi cum eius mortis nuntius missus est, de hoc quem appellabant « nobilem F. Wieninger », fuit enim singulari quadam animi elevatione et suavitate insignitus.

Numquam de manibus dimisit Fratrum nostrorum Coadiutorum officia domestica, immo semper ad ea celer accurrebat, sed in alia generatim est a Superioribus iam ab ipso tirocinio destinatus, F. Martinus Coronas (Prov. Arag.).

Cum adhuc saecularis esset, discipulus factus est et adiutor pictoris illius, Fatris Gallés, in Collegio Manresano, eiusque et aliorum Nostrorum exemplis cito sensit vocationem in animo exoriri, quam anno 1881 inire tandem potuit, ingressus novitiatum Verolae in Prov. Aragoniae.

Magnos posthac, dum in Collegio picturam docebat, progressus fecit in ea arte, magnaque servitia Societati contulit vir vere religiosus, in vita non minus quam in pingendo, qui diu multumque sua arte laboravit Oscae, ubi est natus, Gandiae in Domo S. Francisci de Borgia, in S. Parentis N. Ignatii Domo Loyolaea, Manresae, in diversis Domibus urbis Barcinonis. Nec solum tabulas pinxit, sed tapetas etiam multos adumbravit, ut seriem illam quae vitam S. F. Borgiae ante ingressum in Societatem repraesentat, vel duos illos qui in altari magno nostrae Ecclesiae Gerundensis sunt collocati, et etiam parietes ipsos vel tecta non raro ornavit, v. c. caelum nostrae Ecclesiae Manresanae, et auctor fuit non paucarum imaginum quas postea sculptores operi mandaverunt, Barcinone et aliis in locis.

Erat enim semper Superioribus, tam suis quam aliarum Domorum, adiuvandis paratissimus. Et inter tantos tamque aestimatos labores, tam laudatus ab externis et etiam expetitus et invitatus, mansit semper vere humilis, pius, Societatis semper amantissimus, animo vere simplici et sincero, dulci quadam comitate et devotione conditus, quae magnopere cunctos in suam fiduciam et amorem conciliabat.

Multum eius opera adiuvit in splendorem Expositionis Missionariae, tam eius quae Barcinone, cum mortuus est, parabatur, quam eius quae Romae anno iubilari est celebrata, et in festa Canonizationis Sanctorum, quorum imaginibus tapetas descripsit: S. Roberti Bellarmini, S. Petri Canisii, SS. MM. Canadiensium aliorum.

Est unum ex praecipuis eius operibus, certe omnium notissimum extra Hispaniam, « Regina Societatis Iesu », quod in sacello domestico Residentiae Oscensis conservatur. Cumularunt eum sine dubio large et amplissimis praemiis B. Virgo et omnes illi Societatis Sancti quos tam pie est sua arte veneratus (8 sept. 1928).

LITTERAE QUAEDAM POSTULATORIAE ET OFFICIOSAE A PATRE NOSTRO DATAE.

I. — Pro Canonizatione et Doctoratu B. Alberti Magni O. P.

Beatissime Pater,

Tot inter clarissimos Ordinis Praedicatorum sodales, quorum laus in Ecclesia est, purissima luce fulget Beatus ille Albertus, qui non minus sanctitate quam scientia vere eximia adeo inter coaevos eminuit, ut Magnus passim appellari meruerit: dignus sane, cui immortalis honor a Deo tribueretur Angelicum Doctorem Thomam Aquinatem sacris disciplinis instituendi eiusque famam praesagis laudibus celebrandi. Innumeros paene dixerim libros mira eruditione et ingenua pietate refertos reliquit, quibus et haereticorum aliorumque genuinae catholicae veritatis impugnatorum errores acri ingenio diluit et sanae doctrinae capita dilucide atque ex ordine exponit.

Religiosae perfectionis studiosissimus, etiam in episcopali dignitate constitutus dignissimum Sancti Patriarchae Dominici filium sese exhibuit, paupertatem et humilitatem semper apprime colens. Ad haec, animorum zelus insignis, pastoralis vigilantia indefessa, in SS. Eucharistiam ardens caritas, in Deiparam Virginem pietas tenerrima, erga Ecclesiam et Apostolicam Sedem reverentia maxima, et fidelis observantia, omnes demum Evangelicae virtutes in eo ad exemplum micantes, apud aequales ac posteros magnae sanctitatis famam Beato Alberto pepererunt, quam Summi Pontifices suprema sua auctoritate firmarunt, cultum ei iampridem alicubi tributum approbantes.

Cum autem nostris hisce temporibus, Spiritu Sancto (ut pie autumari potest) sic afflante, complures egregii viri, non modo ex venerabili Praedicatorum Ordine, sed etiam ex aliis Religiosorum Familiis necnon e clero saeculari atque e laicorum coetu, Universitatibus praesertim Germaniae addicti, id collatis viribus et magno studio intendere coeperint, ut huic praeclarissimo Ecclesiae Dei lumini supremi Sanctorum honores, adiecto quoque

Universalis Ecclesiae Doctoris titulo, decernantur, tot tantisque de Canonizatione Beati Alberti Magni postulationibus Sanctitati Vestrae iam porrectis meam quoque humillime adiiciendam duxi, qua meam et totius Societatis Iesu erga perillustrem Praedicatorum Ordinem fraternam caritatem ostendam; eo magis quod in Angelicum Doctorem refundetur quidquid honoris dignissimo eius Magistro decernetur. Nec silendum Sanctum nostrum Petrum Canisium, Universitatis Coloniensis quondam alumnum in eaque annuae de Beato Alberto celebritatis ocularem testem, in suo Martyrologio Germanico amplissimum de eodem Beato Aquinatis Magistro elogium scripsisse et in aliis quoque operibus de eo maxima cum veneratione locutum esse.

Ad pedes igitur Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, totius Societatis Iesu nomine vehementer rogo ut Beato Alberto Magno supremos Sanctorum honores et Doctoris Ecclesiae titulum Sanctitas Vestra quamprimum decernere velit.

Apostolicam Benedictionem demisse imploro.

Romae, die 15 Augusti 1929.

Sanctitatis Vestrae humillimus filius ac servus,
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

II. — Pro Beatificatione Servae Dei Franciscae Xaverio Cabrini, Missionariarum SS. Cordis Fundatricis.

Beatissimo Padre,

Non sono ancora passati dodici anni dacchè la Serva di Dio *M. Francesca Saverio Cabrini*, Fondatrice delle *Missionarie del Sacro Cuore di Gesù*, è volata (come piamente si crede) al cielo, e già la fama della sua santità e dei miracoli che si narrano operati da Dio per la sua intercessione ha, si può dire, riempiuto il mondo, e da ogni parte si innalzano suppliche al Vostro Trono Augusto, perchè si affretti il giorno della glorificazione di quest'anima veramente grande.

Sorretta da un'incrollabile fiducia in Dio e accesa di uno zelo instancabile, questa Donna forte, attraverso a difficoltà

senza numero, diede vita e forma perfetta al nuovo Istituto, che nel titolo stesso di «Missionarie del Sacro Cuore» porta l'impronta del suo spirito apostolico e il segreto della sua mirabile attività attinta direttamente alla fonte dell'amore, al Cuore Santissimo di Gesù. Dal grande Apostolo delle Indie, da cui volle prendere il nome e a cui affidò la protezione del suo Istituto, la Madre Cabrini apprese a sentire che « il mondo intero era troppo piccolo per soddisfare i suoi desideri » e ad affermare che « non si sarebbe data pace finchè sul suo Istituto non fosse mai tramontato il sole per poter così offrire una lode continua al Sacro Cuore di Gesù ».

E difatti non si diede pace il suo grande zelo; con un'energia tutta di carità soprannaturale vincendo le debolezze della natura, essa, come il Saverio, non conobbe ostacoli di mari o di monti, passando per ben ventiquattro volte l'Oceano e attraversando in ogni direzione le immense regioni delle due Americhe, mentre sul suo passaggio sorgevano come per divino incanto nuovi centri di apostolato, e nuove schiere di anime generose le si offrivano pronte a secondarne gli eroici slanci; finchè, dopo trentasette anni di prudentissimo governo della sua sempre crescente famiglia, in quella stessa America, da lei tanto amata e beneficata, trovò l'unica quiete desiderata, quella del sepolcro, o meglio quella del cielo, lasciando il suo caro Istituto in uno stato di floridezza e di prosperità quale a ben poche Fondatrici fu concesso vedere durante la loro vita terrena.

Si degni la Santità Vostra, che ebbe a dichiararsi fortunata d'aver personalmente conosciuta la Madre Cabrini, gradire l'umile supplica che Le porgo a nome di tutta la Compagnia di Gesù, la quale per la Serva di Dio e il suo Istituto ha sempre avuto particolare stima e incoraggiamento e ne fu sempre ricambiata di profondo affetto nel Signore, e voglia quanto prima decretare l'introduzione della Causa di beatificazione della Serva di Dio Madre Francesca Saverio Cabrini, Fondatrice delle Missionarie del Sacro Cuore di Gesù. All'alba dell'ormai imminente cinquantenario della loro fondazione, le degne figlie della Cabrini non potranno avere nè più lieta nè più promettente prova della paterna benevolenza della Santità Vostra, che vedere iniziata l'auspicatissima glorificazione della loro venerata Madre e Maestra.

Prostrato al bacio del sacro Piede con profondo ossequio imploro l'Apostolica Benedizione e godo professarmi

Roma, 16 agosto 1929.

Della Santità Vostra
umilissimo servo e figlio
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

III. — Gratulatoriae ad Rev.mum Dom. Philippum Rinaldi Rectorem Maiorem Piae Societatis Salesianae B. Ioannis Bosco ob Beatificationem Fundatoris.

Reverendissimo Padre,

In questo giorno memorando, in cui la Pia Società Salesiana ha l'ineffabile consolazione di contemplare per la prima volta sugli altari il suo glorioso Fondatore cinto del nimbo dei Beati, non posso trattenermi dal presentare alla Paternità Vostra, anche a nome di tutta la Compagnia di Gesù, le più fervide e sincere congratulazioni, assicurandoLa della viva parte che noi tutti con fraterno affetto prendiamo al loro giubilo.

L'odierna glorificazione del Beato Don Bosco è una nuova altissima, anzi celeste testimonianza dell'insigne benemerenza che Egli e il suo Istituto si sono acquistati verso la Chiesa tutta; e il santo tripudio con cui tale glorificazione viene accolta e celebrata, si può ben dire, in tutto il mondo, è un giusto tributo di riconoscenza per tutto il bene che la Chiesa e la società hanno ricevuto dall'umile Sacerdote Torinese e dalla grande famiglia che ha lasciato sulla terra fedele custode e degna erede del suo magnanimo spirito.

Con questi sentimenti e con l'augurio delle più elette benedizioni e dei più lieti frutti per tutte le loro benefiche imprese a gloria di Dio e a salute delle anime, invoco anche per me e per tutta la Compagnia la potente intercessione del nuovo Beato, che anche in terra ci ha sempre onorati della sua preziosa amicizia e benevolenza.

Della Paternità Vostra Rev.ma devotissimo nel Signore:

Roma, 2 giugno 1929.

WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

IV. — Ad RR. DD. Gregorium Diamare O. S. B., Episcopum tit. Constantiae, Abbatem Montis Cassini, occasione peregrinationis ad Montem Cassinum.

Eccellenza Reverendissima,

Sono dolente di non potere domani prendere parte, come avrei desiderato, al pellegrinaggio speciale delle rappresentanze degli Ordini ed Istituti Religiosi. Quantunque abbia fatto pochi giorni fa con mia grande consolazione il mio privato pellegrinaggio a Montecassino, sarei venuto molto volentieri un'altra volta in questa bella circostanza a prostrarmi sulla tomba venerata di S. Benedetto ed a presentare i miei umili ossequi al suo degnissimo Successore, ciò che allora non mi fu concesso, essendo l'Eccellenza Vostra assente.

Ma siccome le mie occupazioni non mi permettono ora di allontanarmi da Roma, prego l'Eccellenza Vostra di gradire gli ossequi che in mio nome Le presenterà il nostro P. Procuratore Generale, che conduce a codesto glorioso Santuario di fede e di civiltà un piccolo gruppo di Padri, i quali vogliono attestare a nome di tutta la Compagnia di Gesù la viva e sincera gratitudine che essa nutre per il grande Ordine Benedettino come preziosa eredità trasmessale da S. Ignazio.

Non dubito che la solenne commemorazione quattordici volte centenaria segnerà per l'illustre Famiglia di S. Benedetto una nuova pagina gloriosa da aggiungere alla luminosissima storia che s'irradia da Monte Cassino, e mentre me ne congratulo con tutto il cuore, faccio i più fervidi voti delle più elette benedizioni per l'Eccellenza Vostra e per codesta celeberrima Badia.

Chinato al bacio del sacro Anello, con profondo ossequio godo professarmi dell'Eccellenza Vostra Rev.ma

Roma, 25 settembre 1929.

Devotissimo servo
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

V. — Ad Ex.mum Dom. Ducem Shinjiro Yamamoto, ob donum ex Iaponia missum.

Monsieur l'Amiral,

C'était pour moi une agréable surprise de voir que Votre Excellence se souvient de nous et je Lui suis très reconnaissant de la precieuse pièce de soie qu'Elle a bien voulu nous faire parvenir. Nous tâcherons d'utiliser dignement ce don, d'autant plus précieux qu'il venait à Votre Excellence des mains de Sa Majesté l'Empereur, pour orner notre chapelle: cela nous obligera à faire mémoire de Vous et aussi de Votre auguste Souverain dans nos SS. Sacrifices.

Du reste je n'avais guère besoin de ce stimulant pour recommander au bon Dieu et Votre personne et Vos oeuvres. Que le Christ Roi, pour lequel Vous avez quitté la cour d'un grand prince temporel, benisse Vos efforts pour conduire à Lui Votre patrie si chère au premier Apôtre du Japon St. François Xavier. Qu'il bénisse en particulier tout ce que l'éminent Président de la Jeunesse Catholique Japonaise fait et fera tant parmi ses jeunes compatriotes dans le pays même que pour ceux d'entre eux qui ont emigré au Brésil.

Que Votre Excellence veuille bien agréer l'assurance des religieux Sentiments de Son humble serviteur

Rome, 27 Décembre 1929.

WLODIMIR LEDÓCHOWSKI
Prép. Gén. d. l. C. d. J.

VI. — Ad Rev.mum P. Gervasium Quénard, Superiorem Generalem PP. Augustinianorum ab Assumptione, gratulatoriae ob quinquagesimum anniversarium a morte Fundatoris.

Mon Très Révérend Père,

La Société des Pères Augustins de l'Assomption célèbre, ces jours-ci, le cinquantième anniversaire de la mort de son vénéré Fondateur.

A cette occasion, qu'il me soit permis de m'associer ainsi que la Compagnie de Jésus tout entière, au sentiment de reconnaissance envers Dieu, qui doit remplir votre coeur à pareil jour, mon T. R. Père, car le coup d'oeil jeté sur le passé prouve combien a été féconde et bénie du ciel l'oeuvre du Père d'Alzon.

C'est pourquoi je m'unis bien volontiers aux félicitations qui vous arrivent de toute part, et je joins mes prières à celles qui implorent du Divin Maître une nouvelle effusion de grâces sur toute la famille religieuse que vous avez l'honneur de diriger.

Peut-être des fêtes plus grandioses célébreront-elles un jour le Père d'Alzon, si, comme j'en exprime le souhait, le Souverain Pontife lui-même propose à notre exemple et à notre vénération cet intrépide défenseur de l'Eglise et de la liberté d'enseignement. Ce serait une très douce joie pour vous, mon T. R. Père, et elle serait partagée par les Pères de la Compagnie de Jésus, qui ne peuvent oublier que le Père d'Alzon fut un de ceux qui, en France, conquirent de haute lutte cette liberté d'enseignement dont ils bénéficièrent.

Comme je viens d'apprendre que vous aviez été récemment un peu souffrant, je ne veux pas terminer cette lettre, mon T. R. Père, sans vous offrir mes souhaits de prompte et complet rétablissement.

A cette intention comme aussi pour obtenir que le Divin Maître daigne bénir toujours plus la Société des Pères Augustins de l'Assomption, j'offre bien volontiers 300 Stes Messes.

Veuillez agréer, mon T. R. Père, l'expression de mon religieux respect et de mon entier dévouement.

Rome, 2 Décembre 1930.

WLODIMIR LEDÓCHOWSKI
Prép. Gén. d. l. C. d. J.

CONGREGATIONES MARIANAE

Primae Primariae Romanae anno 1930 aggregatae

	Sacerdotes et clerici	Viri	Viri et iuvenes	Iuvenes	Pueri	Summa	Mulieres	Mulieres et virgines	Virgines	Puellae	Summa	Utriusque sexus	SUMMA TOTALIS	Anno praecedenti 1929	
EUROPA															
Anglia							3	3		15	21	7	**28**	21	Anglia
Austria		1		3	2	6	5	2	14	4	25		**31**	26	Austria
Belgium				1	1	2			1	14	15		**17**	5	Belgium
Cechoslovacchia				2		2	2	1	6	2	11		**13**	11	Cechoslovacchia
Gallia				4		4			4	3	7		**11**	21	Gallia
Germania		4		21	2	27	2		67	6	75		**102**	134	Germania
Helvetia			1	5		6			15	1	16		**22**	30	Helvetia
Hibernia								7	1	1	9		**9**	9	Hibernia
Hispania	1	2		11	5	19		2	7	4	13		**32**	64	Hispania
Hungaria (*a*)		1		6	4	11	6	1		9	16		**27**	24	Hungaria
Italia	2	1		6	2	11	2		3	2	7		**18**	18	Italia
Iugoslavia		1		6	2	9	8	1	3	4	16		**25**	17	Iugoslavia
Lusitania		2		2		4	3		3	1	7	1	**12**	8	Lusitania
Neerlandia		3		60	7	70	4	4		96	104	2	**176**	52	Neerlandia
Polonia (*b*)	1	4		22	1	28	11	2	39	4	56		**84**	82	Polonia
Rumaenia (*c*)				1		1			4	1	5	15	**21**	4	Rumaenia
Varia loca					1	1	1		3		4		**5**	4	Varia loca
AFRICA															
Aegyptus				2		2			1	1	2		**4**		Aegyptus
Algeria									2		2		**2**		Algeria
Madagascar							1			1	2		**2**	2	Madagascar
Varia loca			1		1	2	1			2	3		**5**	9	Varia loca
ASIA															
India		1	1	5	3	10	2	3	3	4	12		**22**	22	India
Philippinae									5	2	7		**7**	4	Philippinae
Sinae				1		1	5			2	7		**8**	7	Sinae
Varia loca														4	Varia loca
AMERICA															
Argentina	2			4	1	7		1	4	1	6		**13**	2	Argentina
Brasilia			2	23	1	26	1	1	2	5	9	3	**38**	41	Brasilia
Canada			1	3		4		1	29	5	35		**39**	24	Canada
Chile			4	5	1	10	5	12	6	32	55	3	**68**	17	Chile
Columbia				1	1	2	2		3	2	7		**9**	2	Columbia
S. Salvador				1		1			6		6		**7**	14	S. Salvador
Status Foederati		7		14	7	28	19	8	126	14	167	22	**217**	152	Status Foederati
Varia loca (2)				6	2	8	2		5	1	8		**16**	15	Varia loca
OCEANIA															
Australia							1			3	4		**4**		Australia
Varia loca					2	2			1		1		**3**	1	Varia loca
SUMMA TOTALIS	6	27	10	215	46	304	88	49	363*	212	740	51	**1007**	846	

Ex his cum titulo « *Filiarum Mariae* » 20.

(1) Dania : 1 - Lettonia : 1 - Norvegia : 1.
(2) Aequator : 1 - Costarica : 3 - Honduras : 2 - Ins. Trinidad : 4 - Mexicum : 2 - Uruguay : 2 - Venezuela : 2.

(*a*) Rit. graeco-catol. : 1 - *b*) Rit. graeco-ruthen. 1 - *c*) Rit. graeco-rumaen. : 16 - *d*) Rit. coptici : 2

CATALOGUS DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU

A DIE 1 OCTOBRIS 1928 AD DIEM 30 SEPTEMBRIS 1929

1. — P. HILARION GIL, nat. Labastida (Alava) 21 oct. 1873, ing. 9 oct. 1883, Prof. 4 vot. 2 feb. 1907, ob. Oña (Burgos) 1 oct. 1928; Prov. Castellanae.

2. — P. ANTONIUS M. CHIAVASSA (KEYES), nat. Torino (Italia) 15 iun. 1866, ing. 27 sept. 1882, Coad. spir. 8 sept. 1899, ob. Holy Cross (Alaska) 1 oct. 1928; Prov. Californiae.

3. — P. RAIMUNDUS FAURA, nat. Artés (Barcelona) 20 maii 1850, ingr. 22 aug. 1866, Prof. 4 vot. 2 feb. 1884, ob. Gandía 3 oct. 1928; Prov. Aragoniae.

4. — P. LUDOVICUS DELPLACE, nat. Bruges 16 sept. 1843, ing. 24 sept. 1861, Prof. 4 vot. 2 feb. 1879, ob Tronchiennes 3 oct. 1928; Prov. Belgicae.

5. P. IOSEPHUS C. SASIA, nat. Venasca (Cuneo, Italia) 27 apr. 1843, ing. 14 aug. 1866, Prof. 4 vot. 15 aug. 1882, ob. Santa Clara (California) 7 oct. 1928; Prov. Californiae.

6. — S. CAROLUS GLASMACHER, nat. Münster (Westfalia) 21 oct. 1899, ingr. 13 sept. 1921, Schol. approb., ob. Bochum 7 oct. 1928; Prov. Germaniae Inferioris.

7. — P. PATRITIUS J. DOOLEY, nat. Shule (Co. Mayo, Hibernia) 10 mar. 1853, ing. 3 oct. 1870, Prof. 4 vot. 15 aug. 1889, ob. Poughkeepsie (New York) 9 oct. 1928; Prov. Marylandiae Neo Eboracensis.

8. — P. HENRICUS BIJSTERVELD, nat. Eindhoven 14 mai. 1864, ingr. 26 sept. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1900, ob. Djocjakarta (Iava) 10 oct. 1928; Prov. Neerlandicae.

9. — C. GUSTAVUS EYCKMANS, nat. Anvers 13 apr. 1883, ing. 14 dec. 1900, Coad. temp. form. 15 aug. 1913, ob. Tronchiennes 13 oct. 1928; Prov. Belgicae.

10. — P. ALOISIUS PERELLÓ, nat. Lérida 21 sept. 1844, ingr. 23 oct. 1863, Coad. spir. 2 febr. 1875, ob. Valencia 14 oct. 1928; Prov. Aragoniae.

11. — P. HERMANNUS DIECKMANN, nat. Osnabrück (Hannover) 2 iul. 1880, ingr. 30 sept. 1897, Prof. 4 vot. 2 febr. 1915, ob. Valkenburg (Neerlandia) 15 oct. 1928; Prov. Germaniae Inferioris.

12. — P. IOANNES MARIA LE THIEC, nat. Saint-Avé (Vannes, Gallia), 29 iun. 1856, ingr. 6 sept. 1876, Coad. spir. 2 febr. 1890, ob. La Guardia (Hispania) 18 oct. 1928; Prov. Lusitanae.

13 — S. IOSEPHUS CASAMITJANA, nat. Alcoy (Alicante) 21 aug. 1901, ingr. 29 oct. 1916, Schol. approb., ob. Quito (Ecuador) 18 oct. 1928; Prov. Baeticae.

14. — P. Franciscus de P. Gold, nat. Botenwald ad Novy Jičín (Moravia) 12 maii 1862, ingr. 26 apr. 1884, Prof. 4 vot. 15 aug. 1901, ob. Praha 20 oct. 1928; Viceprov. Cechoslovacae.

15. — P. Petrus Golabek, nat. Sutow (Pol. Min.) 29 iun. 1859, ing. 13 sept. 1877, Coad. spir. 15 aug. 1892, ob. Lublin 21 oct. 1928; Prov. Poloniae Maioris et Mazoviae.

16. — P. Antonius Vidal, nat. Villanueva y Geltrú (Barcelona) 25 aug. 1861, ingr. 2 aug. 1884, Coad. spir. 2 feb. 1899, ob. Tarragona 22 oct. 1928; Prov. Aragoniae.

17. — S. Ferdinandus Dorel, nat. Perpignan 15 aug. 1894, ing. 29 sept. 1923, Schol. approb., ob. Enghien (Belgium) 22 oct. 1928; Prov. Tolosanae.

18. — P. Ioannes Antonius Carrega, nat. S. Bonifacio (Corsica) 23 apr. 1847, ing. 14 aug. 1864, Prof. 4 vot. 15 aug. 1881, ob. Genova 24 oct. 1928; Prov. Taurinensis.

19. — C. Vincentius Gigliano, nat. Napoli 22 dec. 1853, ing. 15 apr. 1894, Coad. temp. form. 15 aug. 1904, ob. Napoli 27 oct. 1928; Prov. Neapolitanae.

20. — S. Andreas Montaud, nat. Castres (Tarn) 28 sept. 1901, ing. 24 sept. 1919, Schol. approb., ob. Toulouse 31 oct. 1928; Prov. Tolosanae.

21. — P. Antonius Arraiano, nat. Valle de Prazeres (Beira-Baixa) 20 aug. 1849, ingr. 14 oct. 1889, Coad. spir. 19 mart. 1900, ob. Bahia (Brasilia) 1 nov. 1928; Prov. Lusitanae.

22. — P. Victor Kolb, nat. Breitenbach (Bohemia) 13 febr. 1856, ing. 14 aug. 1873, Prof. 4 vot. 15 aug. 1890, ob. Graz 2 nov. 1928; Prov. Austriae.

23. — P. Franciscus Finn, nat. St. Louis (Missouri) 4 oct. 1859, ing. 24 mart. 1879, Prof. 4 vot. 15 aug. 1898, ob. Cincinnati (Ohio) 2 nov. 1928; Prov. Missourianae.

24. — P. Stephanus Dalléry, nat. Amplepuis (Rhône) 2 feb. 1871, ing. 27 sept. 1890, Coad. spir. 15 aug. 1907, ob. Marseille 3 nov. 1928; Prov. Lugdunensis.

25. — P. Iacobus Sansa, nat. Adrall (Lérida) 30 dec. 1857, ingr. 28 sept. 1882, Prof. 4 vot. 2 febr. 1898, ob. Gandía 3 nov. 1928; Prov. Aragoniae.

26. — P. Thomas I. Cryan, nat. London (Anglia) 10 mar. 1859, ing. 30 iul. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1899, ob. Washington (District of Columbia) 3 nov. 1928; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

27. — P. Iosephus Schio, nat. Polana Maggiore (Vicenza) 9 sept. 1872, ingr. 22 oct. 1889, Prof. 4 vot. 2 feb. 1911, ob. Milano 4 nov. 1928; Prov. Venetae.

28. — P. Paulus Poncelet, nat. Liége 11 ian. 1866, ing. 23 sept. 1884, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Liége 4 nov. 1928; Prov. Belgicae.

29. — P. Iesus Leturiondo, nat. Durango (Vizcaya, Hispania) 30 iul. 1867, ingr. 13 sept. 1882, Coad. spir. 15 aug. 1902, ob. Granada (Nicaragua) 5 nov. 1928; Prov. Mexicanae.

30. — S. Iosephus Camprubí, nat. Pobla de Ciérvols (Lérida) 16 sept. 1904, ingr. 27 oct. 1922, Schol.

approb., ob. Barcelona 5 nov. 1928; Prov. Aragoniae.

31. — P. IOSEPHUS M. MICÓ, nat. Ayelo de Malferit (Valencia) 21 sept. 1881, ingr. 1 sept. 1902, Coad. spir. 2 feb. 1918, ob. Alicante 6 nov. 1928; Prov. Aragoniae.

32. — P. IOANNES M'DONNELL, nat. Limerick 1 feb. 1848, ing. 14 sept. 1867, Coad. spir. 12 feb. 1887, ob Dublin 7 nov. 1928; Prov. Hiberniae.

33. — S. HERNANDUS PIESCHACÓN, nat. Bogotá 21 ian. 1908, ingr. 29 ian. 1923, Schol. approb., ob. Bogotá 7 nov. 1928; Prov. Columbianae.

34. — S. HERNANDUS PIESCHACÓN, nat. Bessamorel (Haute-Loire, Gallia), 1 dec. 1872, ing. 27 sept. 1891, Prof. 4 vot. 15 aug. 1910, ob. Montréal 8 nov. 1928; Prov. Canadae Inferioris.

35. — P. IOSEPHUS VAN MIERLO, nat. Turnhout 27 dec. 1858, ing. 23 sept. 1879, Coad. spir. 3 feb. 1896, ob. Bruges 8 nov. 1928; Prov. Belgicae.

36. — C. IACOBUS FEIGHAN, nat. Keady (Armagh, Hibernia) 24 dec. 1854, ing. 21 nov. 1898, Coad. temp. form. 2 feb. 1909, ob. Preston (Lancashire) 11 nov. 1928; Prov. Angliae.

37. — C. MICHAEL SALVADOR, nat. Jávea (Alicante) 22 febr. 1871, ing. 31 iul. 1895, Coad. temp. form. 15 aug. 1906, ob. Tortosa 11 nov. 1928; Prov. Aragoniae.

38. — P. ALOISIUS PEIFER, nat. Speyer (Rheinpfalz) 18 iul. 1873, ingr. 16 oct. 1900, Coad. spir. 2 febr. 1911, ob. Florianopolis 13 nov. 1928; Prov. Brasiliae Meridionalis.

39. — P. AMBROSIUS CASSET, nat. Myans (Savoie, Gallia) 20 iul. 1863, ing. 13 sept. 1883, Prof. 4 vot. 25 mart. 1901, ob. Tisbury (Wiltshire) 14 nov. 1928; Prov. Angliae.

40. — S. THOMAS F. BRANNEN, nat. Los Angeles (California) 5 aug. 1906, ing. 17 iul. 1923, Schol. approb., ob. Oakland 14 nov. 1928; Prov. Californiae.

41. — C. PAULUS CARUANA nat. Zebbug (Malta) 6 iun. 1887, ing. 10 oct. 1915, Coad. temp. form. 2 feb. 1926, ob. Birchircara (Malta) 14 nov. 1928; Prov. Siculae.

42. — P. SEBASTIANUS BEYER, nat. Rouffach (Haut-Rhin) 8 aug. 1852, ing. 7 sept. 1869, Prof. 4 vot. 2 feb. 1889, ob. Florennes (Belgium) 16 nov. 1928; Prov. Campaniae.

43. — P. GEMINIANUS RIVASI, nat. Cadignano (Modena) 4 nov. 1882, ingr. 3 oct. 1899, Coad. spir. 2 feb. 1918, ob. Bassano del Grappa (Vicenza) 17 nov. 1928; Prov. Venetae.

44. — C. IOSEPHUS SERRANO, nat. Vera de Moncayo (Zaragoza) 23 apr. 1866, ingr. 18 sept. 1888, Coad. temp. form. 23 apr. 1899, ob. Cabadbarán (Mindanao) 17 nov. 1928; Prov. Aragoniae.

45. — P. IOANNES BAPTISTA HOFFMANN, nat. Wallendorf (Borussia Rhen.) 21 iun. 1857, ing. 20 apr. 1877, Prof. 4 vot. 15 aug. 1895, ob. Trier (Borussia Rhen.) 19 nov. 1928; Prov. Belgicae.

46. — P. RAIMUNDUS PARÉS, nat. Calaf (Barcelona) 25 mart. 1859, ingr. 24 sept. 1878, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Zaragoza 20 nov. 1928; Prov. Aragoniae.

47. — P. FRANCISCUS CIPOLLA, nat. Villalba (Caltanisetta) 25 dec. 1864, ing. 8 sept. 1879, Prof. 4 vot. 2 feb. 1908, ob. Palermo 22 nov. 1928; Prov. Siculae.

48. — P. CAIETANUS STANCANELLI, nat. Regalbuto (Enna) 31 ian. 1873, ing. 19 dec. 1887, Prof. 4 vot. 2 feb. 1906, ob. Palermo 23 nov. 1928; Prov. Siculae.

49. — C. CYPRIANUS JAVAT, nat. Villanueva de Araquil (Navarra) 16 sept. 1852, ing. 26 aug. 1877, Coad. temp. form. 8 sept. 1888, ob. Loyola (Azpeitia) 23 nov. 1928; Prov. Castellanae.

50. — C. ALFREDUS LEMOINE, nat. Tournai 27 sept. 1858, ing. 13 nov. 1886, Coad. temp. form. 2 feb. 1898, ob. Ranchi (Ind. Orient.) 24 nov. 1928; Prov. Belgicae.

51. — P. CYRILLUS MARDONES, nat. Bergüenda (Alava) 9 iul. 1863, ing. 7 maii 1881, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. Murcia 25 nov. 1928; Prov. Toletanae.

52. — P. FIDELIS QUINTANA, nat. La Flecha (Oviedo) 30 apr. 1867, ing. 23 iun. 1884, Prof. 4 vot. 2 feb. 1903, ob. Gijón 28 nov. 1928; Prov. Legionensis.

53. — P. VICTOR MEURS, nat. Nivelles (Brabant) 5 mart. 1872, ing. 23 sept. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1907, ob. Liége 29 nov. 1928; Prov. Belgicae.

54. — C. IOANNES MANCINI, nat. Giove (Perugia) 29 sept. 1844, ing. 11 feb. 1877, Coad. temp. form. 15 aug. 1887, ob. Roma 29 nov. 1928; Prov. Romanae.

55. — P. IOSEPHUS CAHILL, nat. Dublin 13 ian. 1857, ing. 7 sept. 1876, Coad. spir. 15 aug. 1896, ob. Sydney (Australia) 30 nov. 1928; Prov. Hiberniae.

56. — C. SANCTUS FERNÁNDEZ, nat. Maturana (Hispania) 5 nov. 1846, ing. 24 iul. 1879, Coad. temp. form. 3 feb. 1890, ob. Paris 30 nov. 1928; Prov. Franciae.

57. — P. THOMAS SLATER, nat. Dinckley (Lancashire) 16 sept. 1855, ing. 7 sept. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Liverpool 3 dec. 1928; Prov. Angliae.

58. — C. GULIELMUS MCELANEY, nat. Clonmany (Co. Donegal, Hibernia) 10 ian. 1850, ing. 24 oct. 1871, Coad. temp. form. 15 aug. 1882, ob. Boston (Massachusetts) 3 dec. 1928; Prov. Novae Angliae.

59. — P. EDMUNDUS I. RYAN, nat. Tipperary (Hibernia) 4 sept. 1882, ing. 12 feb. 1902, Coad. spir. 2 feb. 1922, ob. Colfax (California) 5 dec. 1928; Prov. Californiae.

60. — P. EDUARDUS ARECHAVALETA, nat. Bilbao (Vizcaya) 26 mart. 1867, ing. 31 mart. 1890, Coad. spir. 15 aug. 1911, ob. Loyola (Azpeitia) 6 dec. 1928; Prov. Castellanae.

61. — C. ALOISIUS DECOURSY, nat. Dannelbourg (Moselle) 9 apr. 1855, ing. 25 sept. 1874, Coad. temp. form. 15 aug. 1886, ob. Florennes (Belgium) 6 dec. 1928; Prov. Campaniae.

62. — C. IOANNES JANSEN, nat. Delft 24 dec. 1875, ingr. 26 sept. 1903, Coad. temp. form. 2 febr. 1914, ob. 's-Gravenhage 6 dec. 1928; Prov. Neerlandicae.

63. — P. IOANNES BAPTISTA DHÉLIAS, nat. Naresse (Lot et Garonne) 17

oct. 1858, ing. 25 iul. 1882, Prof. 4 vot. 2 feb. 1897, ob. Pau 7 dec. 1928; Prov. Tolosanae.

64. — P. HIPPOLYTUS COSTES, nat. Ayssènes (Aveyron) 28 nov. 1848, ing. 4 sept. 1868, Prof. 4 vot. 2 feb. 1886, ob. Toulouse 12 dec. 1928; Prov. Tolosanae.

65. — P. ALOISIUS VREBOSCH, nat. Louvain (Belgium) 13 iun. 1873, ing. 26 oct. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Tacoma (Washington) 13 dec. 1928; Prov. Californiae.

66. — P. IOSEPHUS HARDY, nat. Tongres (Limburg) 14 dec. 1872, ing. 26 sept. 1888, Prof. 4 vot. 2 feb. 1906, ob. Courtrai 15 dec. 1928; Prov. Belgicae.

67. — P. IOSEPHUS NEYRA DE GORGOT, nat. Gerona 11 apr. 1862, ingr. 24 iul. 1879, Coad. spir. 2 febr. 1904, ob. Manresa 15 dec. 1928; Prov. Aragoniae.

68. — P. LUCAS ŁASZCZYK, nat. Karf. (Silesia Boruss.) 17 oct. 1848, ing. 6 maii 1871, Coad. spir. 2 feb. 1882, ob. Kraków 17 dec. 1928; Prov. Poloniae Minoris.

69. — P. MARTINUS GARMENDIA, nat. Tolosa (Guipúzcoa) 21 nov. 1871, ing. 12 ian. 1891, Prof. 4 vot. 2 feb. 1911, ob. San Sebastián 20 dec. 1928; Prov. Castellanae.

70. — P. ANTON LINSMEIER, nat. Neumark (Bohemia) 8 dec. 1840, ing. 1 oct. 1861, Coad. spir. 2 feb. 1880, ob. Innsbruck 21 dec. 1928; Prov. Austriae.

71. — C. IOANNES SMIRLY, nat. Diarbékir (Turchia Asiat.) 3 sept. 1838, ing. 5 feb. 1862, Coad. temp. form. 15 aug. 1872, ob. Le Caire (Aegyptus) 21 dec. 1928; Prov. Lugdunensis.

72. — C. ALOISIUS MESCHENMOSER, nat. Schwarzenbach (Würtembergia) 21 nov. 1878, ing. 30 sept. Coad. tem. form. 2 feb. 1912, ob. São Leopoldo (Brasilia) 21 dec. 1928; Prov. Brasiliae Meridionalis.

73. — P. IOANNES H. FASY, nat. Philadelphia (Pennsylvania) 31 mai. 1887, ing. 14 aug. 1903, Prof. 4 vot. 2 feb. 1922, ob. New York, 23 dec. 1928; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

74. — P. GULIELMUS SHAPTER, nat. Exeter (Devon) 20 feb. 1847, ing. 7 dec. 1867, Coad. spir. 15 aug. 1881, ob. St. Helens (Lancashire) 23 dec. 1928; Prov. Angliae.

75. — P. GEORGIUS A. CONNORS, nat. Boston (Massachusetts) 11 iun. 1885, ing. 14 aug. 1904, Coad. spir. 2 feb. 1923, ob. New York 25 dec. 1928; Prov. Novae Angliae.

76. — C. PETRUS VERHOEK, nat. Vinkeveen 2 aug. 1877, ingr. 26 sept. 1896, Coad. temp. form. 15 aug. 1907, ob Oudenbosch 25 dec. 1928; Prov. Neerlandicae.

77. — C. IOSEPHUS CZERNIA, nat. Wysoka (Silesia Boruss.) 19 mart. 1870, ing. 20 aug. 1903, Coad. temp. form. 2 feb. 1916, ob. Nowy Sącz 26 dec. 1928; Prov. Poloniae Minoris.

78. — C. DIONYSIUS AZCUE, nat. Tolón (Guipúzcoa) 8 oct. 1861, ingr. 4 oct. 1878, Coad. temp. form. 2 febr. 1894, ob. Orihuela 26 dec. 1928; Prov. Aragoniae.

79. — P. ANDREAS HARTMANN, nat. Lofer (Salzburg, Austria) 16 dec. 1851, ing. 16 maii 1884, Coad. spir.

15 aug. 1894, ob. Salisbury (Rhodesia meridion.) 27 dec. 1928; Prov. Angliae.

80. — P. Carolus Mackin, nat. Newtownhamilton (Armagh, Hibernia) 28 sept. 1856, ing. 9 oct. 1880, Coad. spir. 15 aug. 1893, ob. Port Townsend (Washington) 27 dec. 1928; Prov. Californiae.

81. — P. Quintinus Sani, nat. Mon (Trento) 14 mart. 1845, ingr. 14 ian. 1863, Coad. spir. 15 aug. 1878, ob. Mantova 28 dec. 1928; Prov. Venetae.

82. — P. Iosephus M'Donnell, nat. Dublin 28 mart. 1858, ing. 15 feb. 1877, Coad. spir. 2 feb. 1897, ob. Dublin 28 dec. 1928; Prov. Hiberniae.

83. — P. Ludovicus Furgeot, nat. La Chapelle-sous-Briançon (Saône-et-Loire) 17 sept. 1847, ing. 3 oct. 1865, Coad. spir. 5 aug. 1881, ob. Le Caire (Aegyptus) 31 dec. 1928; Prov. Lugdunensis.

84. — P. Henricus Welch, nat. San José (California) 29 mart. 1867, ing. 18 iul. 1894, Coad. spir. 2 feb. 1912, ob. Hollywood (California) 31 dec. 1928; Prov. Californiae.

85. — P. Leopoldus Frenken, nat. Viersen (Rhenania) 9 feb. 1846, ingr. 19 oct. 1871, Prof. 4 vot. 2 feb. 1885, ob. Hubli (India Orient.) 1 ian. 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

86. — C. Henricus Rittmeyer, nat. Nesselroeder (Hannover, Germania) 5 mart. 1864, ing. 31 iul. 1880, Coad. temp. form. 15 aug. 1898, ob. Hot Springs (North Carolina) 1 ian. 1929; Prov. Neo Aurelianensis.

87. — P. Henricus Degrelle, nat. Solre-le-Château (Gallia) 24 aug. 1857, ing. 23 sept. 1873, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Mons 2 ian. 1929; Prov. Belgicae.

88. — P. Iosephus Hontheim, nat. Olewig b. Trier (Rhenania) 18 iul. 1858, ingr. 28 apr. 1882, Prof. 4 vot. 15 aug. 1895, ob. Valkenburg (Neerlandia) 2 ian. 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

89. — C. Franciscus Riera, nat. Manresa (Barcelona) 20 ian. 1844, ingr. 30 oct. 1861, Coad. temp. form. 30 oct. 1874, ob. Manresa 2 ian. 1929; Prov. Aragoniae.

90. — C. Vincentius Del Vecchio, nat. Roma 13 dec. 1868, ing. 2 feb. 1886, Coad. temp. form. 2 feb. 1899, ob. Roma 2 ian. 1929; Prov. Romanae.

91. — P. Aloisius Musso, nat. Camerano (Alessandria, Italia) 23 apr. 1871, ingr. 2 nov. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1905, ob. San Salvador (America Centr.) 3 ian. 1929; Prov. Mexicanae.

92. — P. Iacobus I. Doyle, nat. Dublin (Hibernia) 28 mart. 1873, ing. 7 sept. 1893, Prof. 4 vot. 15 aug. 1911, ob. Milwaukee in Wisconsin 4 ian. 1929; Prov. Missourianae.

93. — S. Rodericus Gudgeon, nat. Southsea (Hampshire) 23 apr. 1897, ing. 7 sept. 1914, Schol. approb., ob. Oxford 5 ian. 1929; Prov. Angliae.

94. — P. Rudolphus Handmann, nat. Wien (Nussdorf) 6 aug. 1841, ing. 17 sept. 1858, Prof. 4 vot. 2 feb. 1876, ob. St. Andrae 7 ian. 1929; Prov. Austriae.

95. — P. Ioannes Baptista Goffart,

nat. Ville-en-Waret (Namur) 9 nov. 1841, ing. 25 sept. 1866, Coad. spir. 1 apr. 1883, ob. Ranchi (Ind. Orient.) 7 ian. 1929; Prov. Belgicae.

96. — P. Nicolaus Martinez Arias, nat. Armellada (León) 5 dec. 1852, ing. 7 sept. 1880, Coad. spir. 12 apr. 1893, ob. Lima (Peruvia) 7 ian. 1929; Prov. Toletanae.

97. — P. Stephanus Pénzes, nat. Bereczk (Transsylvania) 19 aug. 1883, ing. 5 oct. 1903, Coad. spir. 2 febr. 1916, ob. Pécs, 9 ian. 1929; Prov. Hungariae.

98. — P. Matthaeus Schippers, nat. Bergeyk (Neerlandia) 18 sept. 1852, ing. 26 sept. 1877, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Gand 11 ian. 1929; Prov. Belgicae.

99. — S. Ferdinandus Espinosa, nat. Roma (Italia) 12 apr. 1905, ingr. 7 sept. 1922, Schol. approb., ob. Granada 11 ian. 1929; Prov. Baeticae.

100. — C. Gabinus Ochoa, nat. Cotija (Michoacán) 19 feb. 1854, ingr. 31 oct. 1897, Coad. temp. form. 2 feb. 1910, ob. Ysleta (Texas U. S. A.) 13 ian. 1929; Prov. Mexicanae.

101. — P. Sergius Di Gioia, nat. Cerignola (Foggia) 11 mart. 1856, ing. 12 nov. 1874, Coad. spir. 2 feb. 1892, ob. Bari 14 ian. 1929; Prov. Napolitanae.

102. — P. Iosephus Pustkowski, nat. Sokolów (Polonia) 23 ian. 1872, ing. 14 aug. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1908, ob. Warszawa 14 ian. 1929; Prov. Poloniae Maioris et Mazoviae.

103. — P. Ernestus Gavoty, nat. Marseille 25 apr. 1847, ing. 12 nov. 1867, Prof. 4 vot. 15 aug. 1884, ob. Lyon 16 ian. 1929; Prov. Lugdunensis.

104. — P. Iosephus M. Ladrón de Guevara, nat. Salvatierra (Alava) 21 iul. 1868, ing. 15 iul. 1882, Coad. spir. 13 nov. 1899, ob. Logroño 16 ian. 1929; Prov. Castellanae.

105. — P. Firminus Sen, nat. Kien-kia-tchouang (Sinae) 25 sept. 1845, ing. 7 sept. 1867, Coad. spir. 15 aug. 1882, ob. Shang-hai (Sinae) 17 ian. 1929; Prov. Franciae.

106. — P. Caelestinus García Romero, nat. Bovio (Coruña) 22 mai. 1855, ing. 27 sept. 1880, Coad. spir. 2 febr. 1892, ob. Santiago de Compostela 18 ian. 1929; Prov. Legionensis.

107. — P. Franciscus Holme, nat. Liverpool 21 dec. 1865, ing. 7 sept. 1883, Coad. spir. 3 febr. 1902, ob. Heythrop (Oxfordshire) 18 ian. 1929; Prov. Angliae.

108. — P. Iosephus Martin, nat. Fougères (Ille-et-Vilaine) 7 iul. 1861, ing. 14 oct. 1882, Coad. spir. 2 feb. 1897, ob. Laval (Mayenne) 19 ian. 1929; Prov. Franciae.

109. — P. Aloisius Locatelli, nat. Milano 13 nov. 1841, ingr. 1 feb. 1864, Prof. 4 vot. 2 feb. 1881, ob. Mantova 20 ian. 1929; Prov. Venetae.

110. — P. Iosephus Ruhlmann, nat. Issenheim (Alsatia, Gallia) 6 maii 1850, ing. 1 nov. 1869, Prof. 4 vot. 2 feb. 1886, ob. Montréal 21 ian. 1929; Prov. Canadae Inferioris.

111. — P. Ludovicus Lenaerts, nat. Saint-Josse-ten-Noode (Brabant) 22 iul. 1885, ing. 23 sept. 1903, Prof. 4 vot. 2 feb. 1921, ob. Darjeeling Ind. Orient.) 21 ian. 1929; Prov. Belgicae.

112. — P. Gulielmus J. Brooks, nat. Washington (District of Columbia) 2 feb. 1873, ing. 14 aug. 1891, Coad. spir. 2 feb. 1909, ob. Washington 21 ian. 1929; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

113. — P. Franciscus Xav. Kugler, nat. Königsbach a Haardt (Bavaria) 27 nov. 1862, ingr. 29 apr. 1886, Coad. spir. 2 febr. 1897, Prof. 4 vot. 25 mart. 1926, ob. Luzern (Helvetia) 25 ian. 1929; Prov. Germaniae Superioris.

114. — P. Renatus Butaye, nat. Stavele (Flandr. Occid.) 7 iul. 1858, ing. 23 sept. 1879, Coad. spir. 3 feb. 1896, ob. Lemfu (Kwango, Africa) 27 ian. 1929; Prov. Belgicae.

116. — C. Iosephus Grangette, nat. Ste-Sigolène (Hte-Loire) 16 dec. 1870, ing. 3 mart. 1905, Coad. temp. form. 17 aug. 1917, ob. Le Puy 28 ian. 1929; Prov. Tolosanae.

115. — P. Balthasar Ferrer, nat. La Bisbal (Gerona) 2 ian. 1855, ingr. 30 iul. 1877, Coad. spir. 2 febr. 1891, ob. Sarriá (Barcelona) 30 ian. 1929; Prov. Aragoniae.

117. — P. Petrus Philippe, nat. Wychmaal (Limburg, Belgium) 5 feb. 1869, ing. 13 sept. 1887, Prof. 4 vot. 15 aug. 1907, ob. Grand Coteau in Louisiana, 31 ian. 1929; Prov. Neo Aurelianensis.

118. — P. Aloisius Garceau, nat. Trois-Rivières (Québec), 20 iun. 1847, ing. 16 nov. 1871, Coad. spir. 15 aug. 1891, ob. Montréal 31 ian. 1929; Prov. Canadae Inferioris.

119. — P. Paulus Bartrolí, nat. Tarragona 28 oct. 1850, ingr. 19 oct. 1869, Prof. 4 vot. 15 aug. 1889, ob. Gerona 1 febr. 1929; Prov. Aragoniae.

120. — P. Antonius Antunes, nat. Mata (Extremadura) 15 maii 1869, ingr. 12 aug. 1882, Prof. 4 vot. 15 aug. 1904, ob. La Guardia (Hispania) 1 febr. 1929; Prov. Lusitaniae.

121. — P. Georgius Richard, nat. Reining (Haut-Rhin) 12 ian. 1853, ing. 9 oct. 1872, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Dijon (Côte-d'Or.) 1 feb. 1929; Prov. Campaniae.

122. — P. Leo Monin, nat. Maligny (Yonne) 30 iun. 1860, ing. 3 oct. 1877, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Lille (Nord) 1 feb. 1929; Prov. Campaniae.

123. — S. Ioannes Rojek, nat. Zabelcze (Polon. Minor.) 8 feb. 1910, ing. 28 iul. 1925, Schol. approb., ob. Starawieś 1 feb. 1929; Prov. Poloniae minoris.

124. — P. Albertus Arias, nat. Tumaco (Colombia) 26 apr. 1883, ing. 30 iul. 1902, Coad. spir. 2 febr. 1917, ob. Lima (Perú) 3 febr. 1929; Prov. Baeticae.

125. — C. Iosephus Guérin, nat. St. Georges (Vienne) 27 sept. 1847, ing. 30 oct. 1874, Coad. temp. form. 2 febr. 1885, ob. Paris 3 feb. 1929; Prov. Franciae.

126. — P. Albertus de Salinis, nat. Pali (Basses-Pyrénées) 13 maii 1854, ing. 13 nov. 1873, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Paris 6 feb. 1929; Prov. Franciae.

127. — P. Gulielmus Wiesebach, nat. Aachen 14 febr. 1878, ingr. 12 apr. 1899, Coad. spir. 2 febr. 1914, ob. Frankfurt (Main) 8 febr. 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

128. — P. FRANCISCUS M. DE HAYE, nat. Wilmette (Illinois) 6 ian. 1897, ing. 25 iul. 1914, Schol. approb., ob. Milford in Ohio 8 febr. 1929; Prov. Chicagiensis.

129. — P. ALBERTUS TALLADA, nat. Tortosa (Tarragona) 4 feb. 1855, ing. 6 aug. 1876, Coad. spir. 6 oct. 1895, ob. Chamartín (Madrid) 9 feb. 1929; Prov. Toletanae.

130. — C. IOANNES BAPTISTA CIGRANG, nat. Ahn (Luxemb.) 26 oct. 1875, ing. 29 oct. 1892, Coad. temp. form. 2 feb. 1906, ob. Calcutta (Ind. Orient.) 10 feb. 1929; Prov. Belgicae.

131. — P. EDUARDUS PROULX, nat. Nicolet (Québec), 12 iul. 1851, ing. 25 aug. 1874, Coad. spir. 15 aug. 1889, ob. Montréal 11 feb. 1929; Prov. Canadae Inferioris.

132. — P. LUCIANUS GONZÁLEZ, nat. Burgos (Hispania) 26 oct. 1884, ing. 20 iun. 1902, Coad. spir. 2 feb. 1920, ob. Bogotá 11 febr. 1929; Prov. Columbianae.

133. — P. SABINUS MENÉNDEZ, nat. Pravia Sandamias (Oviedo, Hispania) 20 feb. 1852, ing. 25 ian. 1874, Coad. spir. 2 feb. 1892, ob. Santa Fe (Argentina) 12 feb. 1929; Prov. Argentino-Chilensis.

134. — P. FRANCISCUS I. LAMB, nat. New York 25 mai. 1862, ing. 11 apr. 1885, Coad. spir. 3 feb. 1902, ob. New York 12 feb. 1929; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

135. — C. ANTONIUS CAPPELLO, nat. Floriana (Malta) 20 iul. 1852, ingr. 7 dic. 1877, Coad. temp. form. 2 feb. 1888, ob. Birchircara (Malta) 12 feb. 1929; Prov. Siculae.

136. — P. VINCENTIUS CHIAPPA, nat. Bibiana Pinerolo (Italia) 10 iun. 1852, ing. 1 iun. 1871, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Los Angeles (California) 13 feb. 1929; Prov. Californiae.

137. — P. IOANNES ROZNOVSZKY, nat. Baja 7 febr. 1871, ingr. 19 iul. 1889, Prof. 4 vot. 2 febr. 1918, ob. Kalocsa 14 febr. 1929; Prov. Hungariae.

138. — P. DAVID MADURO, nat. Valle de Bravo (México) 24 oct. 1885, ingr. 31 dec. 1910, Coad. spir. 2 feb. 1926, ob. Parras (Coah.) 14 feb. 1929; Prov. Mexicanae.

139. — P. IOANNES HEUVELMANS, nat. Vught 27 nov. 1842, ingr. 17 maii 1865, Coad. spir. 2 feb. 1877, ob. Kortrijk 15 feb. 1929; Prov. Neerlandicae.

140. — S. IACOBUS E. MCATEER, nat. Port. Blakely (Washington) 18 maii 1897, ing. 15 iul. 1925, Schol. approb., ob. Spokane (Washington) 15 feb. 1929; Prov. Californiae.

141. — C. ALFREDUS MCAULAY, nat. Lydgate (Yorkshire) 13 iul. 1852, 4 mart. 1906, Coad. temp. form. 15 aug. 1916, ob. Roehampton (London) 15 feb. 1929; Prov. Angliae.

142. — P. CAROLUS O'SULLIVAN, nat. Tralee (Kerry, Hibernia) 4 feb. 1889, ing. 4 oct. 1919, Schol. approb., ob. Leeds (Yorkshire) 17 feb. 1929; Prov. Angliae.

143. — P. CAROLUS GROGNIER, nat. Loriol (Drôme) 20 sept. 1855, ing. 27 nov. 1880, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Lyon 19 feb. 1929; Prov. Lugdunensis.

144. — P. VINCENTIUS GIORGINI, nat. Terra del Sole (Italia) 14 dec. 1845, ing. 2 sept. 1866, Coad. spir. 15

aug. 1878, ob. São Paulo 19 feb. 1928; Viceprov. Brasiliae Centralis.

145. — S. Iosephus H. Fernández, nat. Buenos Aires 5 dec. 1899, ing. 20 dec. 1921, Schol. approb., ob. Sarriá (Barcelona, Hispania) 19 feb. 1929; Prov. Argentino-Chilensis.

146. — C. Carolus Bayens, nat. Poppel (Antverpia) 23 iun. 1861, ing. 12 apr. 1885, Coad. temp. form. 8 feb. 1896, ob. Tronchiennes 19 feb. 1929; Prov. Belgicae.

147. — C. Ioannes Baptista De Slagmeulder, nat. Lennick-Saint-Martin (Brabantia) 25 ian. 1881, ing. 18 apr. 1912, Coad. temp. form. 2 feb. 1923, ob. Tronchiennes 19 feb. 1929; Prov. Belgicae.

148. — C. Desiderius Van der Mergel, nat. Ophasselt (Flandria Orient.) 27 iul. 1862, ing. 2 maii 1891, Coad. temp. form. 15 aug. 1901, ob. Courtrai 21 feb. 1929; Prov. Belgicae.

149. — P. Paulus Maria Werhahn, nat. Neuss (Rhenania) 17 aug. 1844, ingr. 16 oct. 1868, Coad. spir. 2 febr. 1879, ob. Valkenburg (Neerlandia) 22 febr. 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

150. — P. Ludovicus Kellinger, nat. Newport in Kentucky 9 oct. 1859, ing. 11 mart. 1880, Coad. spir. 15 aug. 1903, ob. Chicago (Illinois) 25 febr. 1929; Prov. Chicagiensis.

151. — C. Victorius Palombo, nat. Ferentino (Frosinone) 27 sept. 1848, ing. 29 sept. 1869, Coad. temp. form. 5 aug. 1883, ob. Galloro (Ariccia, Roma) 26 feb. 1929; Prov. Romanae.

152. — P. Paulus de Corneillan, nat. Le Travert (Tarn) 16 iul. 1863, ing. 11 nov. 1881, Prof. 4 vot. 2 febr. 1899, ob. Toulouse 27 febr. 1929; Prov. Tolosanae.

153. — P. Iosephus M. Achúcarro, nat. Bilbao (Vizcaya) 5 aug. 1845, ing. 29 iul. 1860, Prof. 4 vot. 15 aug. 1878, ob. Orduña (Vizcaya) 28 feb. 1929; Prov. Castellanae.

154. — P. Iosephus Bamber, nat. Preston (Lancashire) 30 iul. 1864, ing. 7 sept. 1883, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. Tremeirchion (Flintshire Wallia) 28 feb. 1929; Prov. Angliae.

155. — C. Florianus Weigelsperger, nat. Gross-Hoebarten (Austria inf.) 8 apr. 1864, ing. 15 sept. 1903, Coad. temp. 2 feb. 1914, ob. St. Andrae 3 mart. 1929; Prov. Austriae.

156. — C. Aloisius Biazzi, nat. Gadesco (Cremona) 20 dec. 1868, ing. 1 iul. 1894, Coad. temp. form. 15 aug. 1904, ob. Triuggio (Milano) 4 mart. 1929; Prov. Venetae.

157. — P. Vincentius Perníčka, nat. Modrá apud Velehrad (Moravia) 13 mart. 1882, ing. 13 aug. 1901, Prof. 4 vot. 15 aug. 1918, ob. Velehrad 6 mart. 1929; Prov. Cechoslovachiae.

158. — C. Ieremias McSweeney, nat. Ballyvourney (Co. Cork, Hibernia) 1 ian. 1877, ing. 8 aug. 1912, Coad. temp. form. 19 mart. 1922, ob. Holy Cross (Alaska), 6 mart. 1929; Prov. Californiae.

159. — P. Emmanuel Abreu, nat. Algeciras (Cádiz) 17 ian. 1874, ing. 4 iul. 1889, Prof. 4 vot. 2 feb. 1909, ob. Lima (Peruvia) 7 mar. 1929; Prov. Toletanae.

160. — P. Wenceslaus Vigil, nat. Infiesto (Oviedo) 30 sept. 1851, ing. 20 iun. 1918, Coad. spir. 15 aug. 1923, ob. Palencia 13 mart. 1929; Prov. Legionensis.

161. — P. Edmundus Procès, nat. Longchamps (Namur) 18 sept. 1847, ing. 24 sept. 1866, Prof. 4 vot. 2 feb. 1885, ob. Arlon 16 mart. 1929; Prov. Belgicae.

162. — P. Augustinus Bringmann, nat. Neubrunn (Bavaria) 14 nov. 1849, ingr. mai 1870, Prof. 4 vot. 15 aug. 1887 ob. Pullach (München) 16 mart. 1929; Prov. Germaniae Superioris.

163. — P. Emmanuel Pestana, nat. S. João da Foz (Porto) 14 ian. 1880, ingr. 9 oct. 1897, Schol. approb., ob. S. João da Foz (Porto) 18 mart. 1929; Prov. Lusitanae.

164. — P. Thomas I. Livingstone, nat. St. Louis (Missouri) 24 aug. 1861, ing. 23 iul. 1883, Coad. spir. 15 aug. 1900, ob. Chicago (Illinois) 19 mart. 1929; Prov. Missourianae.

165. — P. Iosephus Celinšćak, nat. Dubrovčak (Ivanić-grad) 10 febr. 1848, ingr. 21 aug. 1864, Coad. spir. 2 febr. 1884, ob. Zagreb 21 mart. 1929; Viceprov. Iugoslaviae.

166. — P. Iosephus Mikloch, nat. Śrem (Polon. Maior.) 25 mart. 1872, ing. 3 iun. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1906, ob. Poznań 21 mart. 1929; Prov. Poloniae Maioris et Mazoviae.

167. — P. Iulius Lejeune, nat. Saint-Julien-lez-Metz (Moselle) 5 mart. 1840, ing. 10 apr. 1861, Coad. spir. 2 feb. 1878, ob. Amiens (Somme) 22 mart. 1929; Prov. Campaniae.

168. — P. Ioannes Bapt. Wiederkehr, nat. Zürich (Helvetia) 7 febr. 1866, ingr. 31 oct. 1896, Prof. 4 vot. 2 febr. 1911, ob. Tisis (Feldkirch, Voralberg) 24 mart. 1929; Prov. Germaniae Superioris.

169. — C. Franciscus Gabrys, nat. Kolloredow ad Místek (Moravia) 17 ian. 1865, ing. 20 aug. 1892, Coad. temp. form. 2 feb. 1913, ob. Trnava 24 mart. 1929; Prov. Cechoslovachiae.

170. — P. Paulus Camboué, n. Mont-de-Marsan, 22 apr. 1849, ing. 18 oct. 1872, Coad. spir. 25 mart. 1885, ob. Tananarive (Madagascar) 25 mart. 1929; Prov. Tolosanae.

171. — P. Paulus Silvester, nat. Spišská Kapitula (Slovachia) 23 ian. 1853, ing. 13 nov. 1877, Coad. spir. 2 febr. 1888, ob. Trnava 25 mart. 1929; Prov. Cechoslovachiae.

172. — C. Cleophas Lapierre, nat. Sainte-Anne de Stukely (Québec), 5 sept. 1858, ing. 18 mart. 1897, Coad. temp. form. 15 aug. 1907, ob. Montréal 27 mart. 1929; Prov. Canadae Inferioris.

173. — P. Richardus A. Fleming, nat. New York 28 oct. 1874, ing. 14 aug. 892, Coad. spir. 2 feb. 1910, ob. Jersey City (New Jersey) 30 mart. 1929; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

174. — C. Aloisius Bottà, nat. Morbegno (Como) 30 aug. 1870, ing. 2 oct. 1892, Coad. temp. form. 2 feb. 1906, ob. Torino 1 apr. 1929; Prov. Taurinensis.

175. — P. Iosephus Hugon, nat. Cherbourg (Manche) 10 maii 1893, ing. 10 oct. 1910, Prof. 4 vot. 2 feb. 1928, ob. Haitcheou (Sinae) 4 apr. 1929; Prov. Franciae.

176. — P. Fulgentius Ferré, nat. Ba-

ñeres (Alicante) 29 ian. 1887, ingr. 6 maii 1913, Coad. spir. 2 febr. 1929, ob. Barcelona 4 apr. 1929; Prov. Aragoniae.

177. — P. Gustavus Feron, nat. Ixelles (Brabantia) 4 iun. 1864, ing. 23 sept. 1883, Coad. spir. 2 febr. 1900, ob. Bruxelles 5 apr. 1929; Prov. Belgicae.

178. — C. Iacobus Degen, nat. Wehr (Rhenania) 24 aug. 1858, ingr. 30 sept. 1882, Coad. temp. form. 2 feb. 1893, ob. Copenhagen (Dania) 5 apr. 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

179. — C. Andreas Mira, nat. Almoradí (Alicante) 29 nov. 1874, ingr. 29 iul. 1899, Coad. temp. form. 15 aug. 1909, ob. Zaragoza 7 apr. 1929; Prov. Aragoniae.

180. — C. Leo Renard, nat. Gy (Haute Saône, Gallia) 11 iun. 1842, ing. 1 feb. 1883, Coad. temp. form. 2 feb. 1893, ob. Montréal 7 apr. 1929; Prov. Canadae Inferioris.

181. — P. Ioannes van Helvoirt, nat. Berlicum 24 ian. 1858, ingr. 26 sept. 1878, Prof. 4 vot. 2 feb. 1896, ob. Mariëndaal (Velp, N. B.) 8 apr. 1929; Prov. Neerlandicae.

182. — P. Rudolphus Churain, nat. Kraków 29 maii 1852, ing. 3 sept. 1867, Coad. spir. 15 aug. 1885, ob. Kraków 8 apr. 1929; Prov. Poloniae Minoris.

183. — P. Paulus Van Koetsem, nat. Deurne (Antverpia) 8 feb. 1886, ing. 23 sept. 1904, Coad. spir. 2 feb. 1923, ob. Gowa (Kwango, Africa) 9 apr. 1929; Prov. Belgicae.

184. — P. Ignatius Achilles Vasta, nat. Villalba (Caltanissetta) 16 dec. 1862, ingr. 28 aug. 1879, Coad. spir. 15 aug. 1897, ob. Spokane (Washington, America) 11 apr. 1929; Prov. Siculae.

185. — P. Archangelus Valentino, nat. Napoli 27 mart. 1870, ing. 6 nov. 1886, Prof. 4 vot. 15 aug. 1905, ob. Pueblo Colorado, 13 apr. 1929; Prov. Missourianae.

186. — P. Alphonsus Macua, nat. La Guardia (Alava) 28 nov. 1885, ing. 28 aug. 1903, Prof. 4 vot. 2 feb. 1921, ob. Sanli-kiai (Sinae) 13 apr. 1929; Prov. Castellanae.

187. — P. Stephanus Komorowski, nat. Bilinka (Polon. Minor.) 20 sept. 1863, ing. 8 dec. 1916, Prof. 4 vot. 8 dec. 1926, ob. Kraków 17 apr. 1929; Prov. Poloniae Minoris.

188. — S. Eduardus Müller, nat. Engen (Badenia) 4 ian. 1900, ingr. 15 sept. 1919, Schol. approb., ob. Innsbruck (Austria) 17 apr. 1929; Prov. Germaniae Superioris.

189. — C. Vitalis Barata, nat. S. João Baptista, Estreito (Beira-Baixa) 13 mart. 1875, ingr. 17 maii 1898, Coad. temp. form. 2 febr. 1909, ob. S. Martín de Trevejo (Hispania) 17 apr. 1929; Prov. Lusitanae.

190. — C. Franciscus Simonis, nat. Leiden 12 feb. 1842, ingr. 29 mart. 1870, Coad. temp. form. 5 iun. 1881, ob. Dunbrody (Africa Merid.) 18 apr. 1929; Prov. Neerlandicae.

191. — P. Henricus de Maillardoz, nat. Mâcon (Saône-et-Loire) 21 maii 1852, ing. 14 apr. 1876, Coad. spir. 15 aug. 1887, ob. Lyon 20 apr. 1929; Prov. Lugdunensis.

192. — C. Telesphorus Goicoechea, nat. Gomecha (Alava) 5 ian. 1861, ing. 12 nov. 1885, Coad. temp. form.

2 feb. 1896, ob. Castillo de Javier (Navarra) 20 apr. 1929; Prov. Castellanae.

193. — P. Iacobus Moore, nat. New Orleans (Louisiana) 21 feb. 1854, ing. 31 iul. 1880, Coad. spir. 2 feb. 1898, ob. New Orleans (Louisiana) 22 apr. 1929; Prov. Neo Aurelianensis.

194. — C. Ioannes-Claudius Roujol, nat. St-Julien-Vocance (Ardèche) 22 feb. 1875, ing. 12 nov. 1907, Coad. temp. form. 15 aug. 1918, ob. Lyon 23 apr. 1929; Prov. Lugdunensis.

195. — P. Iosephus Gioanini, nat. Torino 8 aug. 1863, ingr. 2 dec. 1882, Prof. 4 vot. 15 aug. 1900, ob. Solbiate Comasco (Como) 24 apr. 1929; Prov. Venetae.

196. — P. Iosephus Gerlach, nat. Stadberge (Westphalia, Germania) 29 iul. 1842, ing. 12 oct. 1865, Coad. spir. 15 aug. 1881, ob. Grand Coteau (Louisiana) 30 apr. 1929; Prov. Neo Aurelianensis.

197. — P. Matthias Tsang, nat. Poutong (Sinae) 15 feb. 1871, ing. 1 sept. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1908, ob. Zi-ka-wei (Sinae) 30 apr. 1929; Prov. Franciae.

198. — P. Iosephus M. Rubio, nat. Dalías (Almería) 22 iul. 1864, ingr. 11 oct. 1906, Coad. spir. 2 febr. 1917, ob. Aranjuez (Madrid) 2 mai. 1929; Prov. Baeticae.

199. — C. Franciscus Guimaraes, nat. Porosinho (Douro) 22 mart. 1848, ingr. 30 oct. 1896, Coad. temp. form. 2 febr. 1907, ob. S. Carlos do Pinhal (Brasilia) 4 maii 1929; Prov. Lusitanae.

200. — C. Petrus Sterluti, nat. Zermeghedo (Vicenza) 11 oct. 1906, ingr. 5 ian. 1925, Coad. temp. appr., ob. Gorizia 4 maii 1929; Prov. Venetae.

201. — P. Iosephus Schellauf, nat. Breitenbach (Steiermark) 17 sept. 1861, ing. 28 sept. 1878, Prof. 4 vot. 2 feb. 1896, ob. Linz (Freinberg) 7 maii 1929; Prov. Austriae.

202. — P. Aloisius Bertrán, nat. Albocácer (Castellón) 13 iul. 1866, ingr. 17 iul. 1894, Prof. 4 vot. 15 aug. 1908, ob. Bombay (India) 7 maii 1929; Prov. Aragoniae.

203. — P. Iulius Kosellek, nat. Zülkowitz (Silesia) 22 dec. 1859, ingr. 5 ian. 1883, Coad. spir. 2 febr. 1896, ob. Opava (Čechoslovachia) 8 maii 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

204. — P. Aloisius Manière, nat. Belvès (Gallia) 23 apr. 1880, ingr. 24 oct. 1897, Coad. spir. 2 feb. 1922, ob. São Paulo 8 maii 1929; Viceprov. Brasiliae Centralis.

205. — C. Florentius Mancera, nat. Los Santos (Badajoz) 23 feb. 1891, ing. 30 oct. 1910, Coad. temp. form. 22 sept. 1921, ob. Truk-Toloas (Carolinae) 11 maii 1929; Prov. Toletanae.

206. — P. Eudorus Devroye, nat. Marbaix (Brabantia) 31 maii 1869, ing. 23 sept. 1886, Prof. 4 vot. 2 feb. 1905, ob. Etterbeek (Brabantia) 17 maii 1929; Prov. Belgicae.

207. — S. Henricus Dazin, nat. Ixelles (Brabantia) 29 iun. 1908, ing. 23 sept. 1927, Schol. nov., ob. Tronchiennes 17 maii 1929; Prov. Belgicae.

208. — C. Leo Fouquet, nat. Tours (Indre-et-Loire) 30 mart. 1872, ing.

17 nov. 1903, Coad. temp. form. 2 feb. 1914, ob. Nantes (Loire-Inférieure) 17 maii 1929; Prov. Franciae.

209. — P. ANDREAS GRANSAULT, nat. Mâcon (Saône-et-Loire) 6 oct. 1860, ing. 9 oct. 1878, Coad. spir. 15 aug. 1894, ob. Avignon 20 maii 1929; Prov. Lugdunensis.

210. — P. IOSEPHUS M. GRAU, nat. Maspujóls (Tarragona) 28 mart. 1881, ingr. 8 mart. 1905, Coad. spir. 15 aug. 1920, ob. Valencia 21 maii 1929; Prov. Aragoniae.

211. — P. EDUARDUS PIGOT, nat. Dublin 18 sept. 1858, ing. 10 iun. 1885, Coad. spir. 1 mart. 1901, ob. Sydney (Australia) 22 maii 1929; Prov. Hiberniae.

212. — P. PETRUS PRINCE, nat. Saint-Grégoire (Québec) 29 iun. 1861, ing. 22 dec. 1883, Coad. spir. 15 aug. 1897, ob. Montréal 22 maii 1929; Prov. Canadae Inferioris.

213. — S. IOSEPHUS PÉREZ ICASÁTEGUI, nat. Santander 15 mai. 1866, ing. 11 mar. 1886, Schol. appr., ob. Orduña 24 mai. 1929; Prov. Legionensis.

214. — P. LUCIANUS CATTIN, nat. Barrières prope Noirmont (Bern, Helvetia) 1 mart. 1851, ing. 16 mart. 1868, Prof. 4 vot. 2 feb. 1888, ob. Tanaïl (Syria) 26 maii 1929; Prov. Lugdunensis.

215. — P. EDUARDUS ENGBERS, nat. Oldenzaal 11 iul. 1862, ingr. 26 sept. 1881, Prof. 4 vot. 26 apr. 1899, ob. Semarang (Iava) 26 maii 1929; Prov. Neerlandicae.

216. — P. IOSEPHUS FRANKEN, nat. Löbach prope Felderhoferbrücke (Bez. Köln) 12 sept. 1879, ingr. 25 apr. 1900, Coad. spir. 2 febr. 1917, ob. Essen (Ruhr) 26 maii 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

217. — P. HENRICUS VAN EESBEECK, nat. Bruxelles 26 feb. 1875, ing. 23 sept. 1902, Prof. 4 vot. 2 feb. 1920, ob. Liége 27 maii 1929; Prov. Belgicae.

218. — P. OCTAVIUS BARBERIS, nat. Montaldo Scarampi (Alessandria) 16 sept. 1884, ing. 11 ian. 1910, Prof. 4 vot. 2 feb. 1925, ob. Chieri (Torino) 27 maii 1929; Prov. Taurinensis.

219. — C. FRANCISCUS BOUGNON, nat. Montbeliard (Doubs, Gallia), 15 mart. 1870, ing. 7 aug. 1890, Coad. temp. form. 2 feb. 1902, ob. Mobile in Alabama 27 maii 1929; Prov. Neo Aurelianensis.

220. — P. IOSEPHUS BOONE, nat. Alost 5 dec. 1867, ing. 26 sept. 1884, Prof. 4 vot. 3 feb. 1902, ob. Colmar (Gallia) 28 maii 1929; Prov. Belgicae.

221. — P. ALBERTUS BELLEMARE, nat. Yamachiche (Québec) 15 dec. 1859, ing. 7 sept. 1883, Coad. spir. 15 aug. 1896, ob. Montréal 28 maii 1929; Prov. Canadae Inferioris.

222. — P. GEORGIUS GRUGGEN, nat. Pocklington (Yorkshire) 28 mart. 1865, ing. 7 sept. 1883, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. Roehampton (London) 2 iun. 1929; Prov. Angliae.

223. — C. ALOISIUS CARDONA, nat. Jávea (Alicante) 21 ian. 1849, ingr. 7 sept. 1876, Coad. temp. form. 2 febr. 1887, ob. Orihuela 3 iun. 1929; Prov. Aragoniae.

224. — S. ANDREAS NIEDERHOFER, nat. S. Maddalena in Casies (Bolzano) 29 nov. 1903, ingr. 12 ian. 1923, Schol. appr., ob. Bassano del Grap-

pa (Vicenza) 4 iun. 1929; Prov. Venetae.

225. — R. P. Iosephus Barrachina, Assistens Hispaniae, nat. Alcoy (Alicante) 24 mart. 1856, ingr. 4 maii 1873, Prof. 4 vot. 2 febr. 1893, ob. Roma 7 iun. 1929; Prov. Aragoniae.

226. — C. Philippus Edouard, nat. Alger (Africa) 12 nov. 1852, ing. 12 nov. 1884, Coad. temp. form. 2 feb. 1895, ob. Dôle (Jura) 8 iun. 1929; Prov. Lugdunensis.

227. — P. Germanus Foch, nat. Tarbes 8 oct. 1854, ing. 28 oct. 1872, Prof. 4 vot. 2 febr. 1890, ob. Paris 9 iun. 1929; Prov. Tolosanae.

228. — P. Hippolytus Cappe de Baillon, nat. Saint-Venant (Pas-de-Calais) 7 maii 1840, ing. 24 dec. 1860, Coad. spir. 15 aug. 1880, ob. Enghien (Belgium) 10 iun. 1929; Prov. Campaniae.

229. — P. Franciscus Melling, nat. Preston (Lancashire) 18 mart. 1875, ing. 7 sept. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1913, ob. Blackpool (Lancashire) 12 iun. 1929; Prov. Angliae.

230. — P. Iosephus da Silva Prior, nat. Boafarinha (Vila de Rei, Beira-Baixa) 6 febr. 1895, ing. 20 dec. 1910, Schol. approb., ob. Oya (Hispania) 14 iun. 1929; Prov. Lusitanae.

231. — P. Petrus Baldi, nat. Pistoia (Firenze) 2 nov. 1842, ing. 26 maii 1867, Prof. 4 vot. 15 aug. 1882, ob. Firenze 15 iun. 1929; Prov. Romanae.

232. — P. Hector Papi, nat. Roma (Italia) 7 aug. 1861, ing. 10 ian. 1895, Prof. 4 vot. 2 feb. 1908, ob. Washington (Columbia) 18 iun. 1929; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

233. — P. Ludovicus Lacombe, nat. Le Puy 9 maii 1864, ing. 8 maii 1886, Coad. spir. 2 febr. 1889, ob. Trichinopoly (India) 19 iun. 1929; Prov. Tolosanae.

234. — P. Iosephus Dias Silvares, nat. Lardosa (Beira-Baixa) 3 dec. 1857, ingr. 14 sept. 1872, Prof. 4 vot. 2 febr. 1892, ob. La Guardia (Hispania) 20 iun. 1929; Prov. Lusitanae.

235. — P. Henricus Bernhard, nat. Ribeauvillé (Haut-Rhin), 20 sept. 1850, ing. 13 apr. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1888, ob. Florennes (Belgium) 20 iun. 1929; Prov. Campaniae.

236. — P. Franciscus Goñi, nat. Oyarzun (Guipúzcoa) 29 iul. 1878, ing. 15 sept. 1895, Coad. spir. 2 feb. 1912, ob. Wu-hu (Sinae), 20 iun. 1929; Prov. Castellanae.

237. — C. Ioannes Gabirondo, nat. Ibarra (Guipúzcoa, Hispania) 22 iul. 1848, ing. 2 feb. 1867, Coad. temp. form. 2 feb. 1880, ob. Santa Fe (Argentina) 22 iun. 1929; Prov. Argentino-Chilensis.

238. — P. Hermelandus Costa, nat. Riolo Bagni (Ravenna) 18 feb. 1860, ing. 30 dec. 1878, Prof. 4 vot. 2 feb. 1896, ob. Anagni (Frosinone) 25 iun. 1929; Prov. Romanae.

239. — P. Aloisius Feliu, nat. Barcelona (Hispania) 28 mart. 1868, ing. 29 sept. 1885, Coad. spir. 8 sept. 1905, ob. Montevideo (Uruquaria) 25 iun. 1929; Prov. Argentino-Chilensis.

240. — P. Augustinus Klein, nat. Trier 5 mart. 1893, ingr. 10 apr. 1913, Coad. spir. 6 ian. 1929, ob.

Kaunas (Lithuania) 25 iun. 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

241. — P. Theophilus Brutin, nat. Gheluwe (Flandria Occid.) 2 feb. 1862, ing. 23 sept. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1899, ob. Courtrai 28 iun. 1929; Prov. Belgicae.

242. — P. Ferdinandus Cléret de Langavant, nat. Guipavas (Finistère) 7 iun. 1862, ingr. 9 oct. 1881, Coad. spir. 2 feb. 1900, ob. Le Mans (Sarthe) 2 iul. 1929; Prov. Franciae.

243. — P. Ludovicus Macinai, nat. Figline Valdarno (Firenze) 3 dec. 1856, ing. 8 dec. 1877, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Galloro (Ariccia, Roma) 3 iul. 1929; Prov. Romanae.

244. — P. Iacobus Weingärtner, nat. Ockenheim prope Bingen (Rhenania) 4 oct. 1850, ingr. 30 sept. 1870, Coad. spir. 2 febr. 1888, ob. Valkenburg (Neerlandia) 6 iul. 1929; Prov. Germaniae Superioris.

245. — P. Ludovicus Querini, nat. Venezia 20 maii 1846, ing. 3 oct. 1869, Prof. 4 vot. 2 feb. 1885, ob. Firenze 7 iul. 1929; Prov. Romanae.

246. — C. Petrus Purgatorio, nat. Orvieto (Italia) 10 oct. 1850, ing. 26 maii 1877, Coad. temp. form. 15 aug. 1887, ob. Nova Friburgo 12 iul. 1929; Viceprov. Brasiliae Centralis.

247. — C. Ludovicus Leclercq, nat. Namur 13 nov. 1878, ing. 6 feb. 1904, Coad. temp. form. 15 aug. 1914, ob. Liége 12 iul. 1929; Prov. Belgicae.

248. — P. Gulielmus I. O'Brien, nat. Troy (New York) 18 oct. 1874, ing. 29 aug. 1896, Coad. spir. 2 feb. 1917, ob. Los Angeles (California) 14 iul. 1929; Prov. Californiae.

249. — C. Franciscus Zamboni, nat. Traversara (Trento) 28 feb. 1854, ingr. 12 nov. 1869, Coad. temp. form. 15 aug. 1884, ob. Mangalore (India) 14 iul. 1929; Prov. Venetae.

250. — P. Ioannes Bapt. Torrent, nat. Agullona (Gerona) 15 febr. 1856, ingr. 25 febr. 1879, Coad. spir. 2 febr. 1893, ob. Gandía 15 iul. 1929; Prov. Aragoniae.

251. — P. Robertus de Nostitz-Rieneck, nat. Slabez (Bohemia) 18 mart. 1856, ing. 4 oct. 1881, Prof. 4 vot. 2 febr. 1895, ob. Freising 16 iul. 1929; Prov. Germaniae Superioris.

252. — P. Sigismundus Masferrer, nat. Hostalrich (Gerona, Hispania) 13 ian. 1865, ingr. 24 iul. 1880, Prof. 4 vot. 2 febr. 1899, ob. Buenos Aires 19 iul. 1929; Prov. Argentino-Chilensis.

253. — P. Ioannes C. Reville, nat. Brooklyn (New York) 4 feb. 1867, ingr. 3 sept. 1884, Prof. 4 vot. 2 feb. 1905, ob. New Orleans (Louisiana) 19 iul. 1929; Prov. Neo Aurelianensis.

254. — P. Coemgenus Daly, nat. Terenure (Dublin) 25 oct. 1895, ing. 7 dec. 1914, Schol. approb., ob. Dublin 19 iul. 1929; Prov. Hiberniae.

255. — P. Ioannes I. Lunny, nat. New York 23 mai. 1870, ingr. 12 aug. 1887, Prof. 4 vot. 15 aug. 1905, ob. New York 21 iul. 1929; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

256.— P. Emmanuel Ugalde, nat.

Amorebieta (Vizcaya) 31 dec. 1853, ingr. 24 iul. 1890, Coad. spir. 15 aug. 1900, ob. San Sebastián (Guipúzcoa) 21 iul. 1929; Prov. Castellanae.

257. — C. IOANNES SAS, nat. La Bisbal (Tarragona, Hispania) 10 iun. 1849, ingr. 3 mart. 1882, Coad. temp. form. 15 aug. 1892, ob. Buenos Aires 21 iul. 1929; Prov. Argentino-Chilensis.

258. — P. EMMANUEL OBESO, nat. Santander 13 aug. 1852, ingr. 6 oct. 1869, Prof. 4 vot. 2 febr. 1887, ob. Deusto (Bilbao) 24 iul. 1929; Prov. Legionensis.

259. — P. VINCENTIUS HORNYOLD, nat. London 13 apr. 1849, ingr. 2 mart. 1867, Coad. spir. 2 feb. 1886, ob. Roehampton (London) 25 iul. 1929; Prov. Angliae.

260. — P. FRANCISCUS CARROLL, nat. Kapunda (Australia) 4 oct. 1857, ingr. 9 feb. 1875, Coad. spir. 26 apr. 1888, ob. Adelaide (Australia) 25 iul. 1929; Prov. Hiberniae.

261. — P. ALOISIUS DRUMMOND, nat. Montréal (Québec) 19 aug. 1848, ingr. 29 ian. 1868, Prof. 4 vot. 15 aug. 1886, ob. Guelph (Ont.) 28 iul. 1929; Prov. Canadae Superioris.

262. — C. HERMANNUS MICHELS, nat. Heistert b. Steinfeld (Rhenania) 4 aug. 1852, ingr. 30 sept. 1880, Coad. temp. form. 2 febr. 1891, ob. Bombay (India Orient.) 28 iul. 1929; Prov. Germaniae Inferioris.

263. — P. FRIDERICUS STRAGIOTTI, nat. Sabbia (Novara) 31 ian. 1866, ingr. 17 sept. 1884, Prof. 4 vot. 2 febr. 1902, ob. San Remo 29 iulii 1929; Prov. Taurinensis.

264. — P. ALOISIUS GIELEN, nat. Maastricht 9 sept. 1871, ingr. 26 sept. 1892, Prof. 4 vot. 2 febr. 1910, ob. Nijmegen 30 iul. 1929; Prov. Neerlandicae.

265. — P. ANTONIUS REPISO, nat. Córdoba (Chalco E. de Mexico) 29 ian. 1856, ingr. 14 aug. 1893, Coad. spir. 15 aug. 1903, ob. León (Gto.) 30 iul. 1929; Prov. Mexicanae.

266. — S. PAULUS DEGENER, nat. Horst-Emscher (Westfalia) 14 mart. 1911, moribundus in Soc. susceptus 30 iul. 1929, Schol. nov., ob. Feldkirch (Austria) 30 iul. 1929; Prov. Germaniae Superioris.

267. — C. GEORGIUS LEHOUX, nat. Sainte-Marie de Beauce (Québec) 10 apr. 1853, ingr. 29 oct. 1876, Coad. temp. form. 15 aug. 1887, ob. Sudbury (Ontario) 30 iul. 1929; Prov. Canadae Inferioris.

268. — P. CHRISTOPHORUS I. KOHNE, nat. Freemont in Nebraska 18 dec. 1881, ingr. 3 sept. 1900, Prof. 4 vot. 8 apr. 1918, ob. Kansas City (Missouri) 31 iul. 1929; Prov. Missourianae.

269. — P. PAULUS THUILLIER, nat. Bordeaux, 13 oct. 1845, ingr. 8 ian. 1877, Coad. spir. 2 febr. 1888, ob. Pau 31 iul. 1929; Prov. Tolosanae.

270. — P. FRANCISCUS GAUVIN, nat. Richmond (Vermont) 19 apr. 1883, ingr. 14 aug. 1908, Coad. spir. 2 febr. 1925, ob. Montréal 2 aug. 1929; Prov. Canadae Inferioris.

271. — C. THOMAS FORSTER, nat. Melbourne (Australia) 21 iul. 1869, ingr. 9 oct. 1894, Coad. temp. form. 15 aug. 1916, ob. Sydney (Australia) 3 aug. 1929; Prov. Hiberniae.

272. — P. IOANNES W. FOX, nat. West

Park (New York) 14 sept. 1849, ingr. 16 sept. 1870, Coad. spir. 15 aug. 1889, ob. New York 6 aug. 1929; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

273. — RR. DD. HENRICUS DE LESPINASSE DE SAUNE, Episc. tit. Rhizaeanus, nat. Toulouse (Gallia) 7 iul. 1850, ingr. 1 febr. 1876, Coad. spir. 2 febr. 1895, ob. Tananarive (Madagascar) 7 aug. 1929; Prov. Tolosanae.

274. — P. IOANNES KRAMERS, nat. Schiedam 3 nov. 1865, ingr. 26 sept. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Nijmegen 11 aug. 1929; Prov. Neerlandicae.

275. — P. TIMOTHEUS MURPHY, nat. San Francisco (California) 20 febr. 1880, ingr. 28 dec. 1895, Coad. spir. 2 febr. 1917, ob. Santa Clara (California) 13 aug. 1929; Prov. Californiae.

276. — C. ANTONIUS ZARANDONA, nat. Gorocica (Vizcaya) 10 mai. 1890, ingr. 24 iun. 1910, Coad. temp. form. 15 aug. 1920, ob. Salamanca 19 aug. 1929; Prov. Legionensis.

277. — C. LAURENTIUS JOYCE, nat. San Joaquín (California) 10 dec. 1860, ingr. 2 feb. 1890, Coad. temp. form. 15 aug. 1905, ob. Santa Clara (California) 20 aug. 1929; Prov. Californiae.

278. — P. FRANCISCUS MARTIN MENGOD, nat. Valencia 23 ian. 1864, ingr. 13 sept. 1880, Coad. spir. 2 febr. 1899, ob. Valencia 21 aug. 1929; Prov. Aragoniae.

279. — P. PETRUS A. OATES, nat. New York 10 febr. 1874, ingr. 29 iul. 1893, Prof. 4 vot. 2 febr. 1912, ob. New York 24 aug. 1929; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

280. — P. DANIEL I. MURPHY, nat. Shinrone (Co. Offaly, Hibernia) 2 dec. 1852, ingr. 27 iun. 1882, Coad. spir. 2 febr. 1897, ob. Mobile (Alabama) 24 aug. 1929; Prov. Neo Aurelianensis.

281. — P. STEPHANUS PERRACHON, nat. St-Étienne (Loire) 8 sept. 1870, ingr. 1 maii 1889, Coad. spir. 2 feb. 1908, ob. Le Caire (Aegyptus) 26 aug. 1929; Prov. Lugdunensis.

282. — P. MICHAEL G. VOELKL, nat. Rochester (New York) 28 dec. 1894, ing. 7 sept. 1916, Schol. approb., ob. Brooklyn (New York) 26 aug. 1929; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

283. — C. FRANCISCUS CARRILHO, nat. Covilhã (Lusitania) 4 nov. 1876, ingr. 17 maii 1898, Coad. temp. form. 15 aug. 1908, ob. Alleppey (India) 26 aug. 1929; Prov. Lusitanae.

284. — P. SIMON LI, nat. Li-tchee-ts'uenn (Sinae) 23 feb. 1856, ing. 1 dec. 1875, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Tamingfu (Sinae) 29 aug. 1929; Prov. Campaniae.

285. — P. ANGELUS SEREGGI, nat. Scutari (Albania) 11 iun. 1860, ingr. 7 nov. 1891, Coad. spir. 2 feb. 1902, ob. Scutari (Albania) 29 aug. 1929; Prov. Venetae.

286. — P. ALBERTUS VINCHON, nat. Neuville-Bourgeonval (Pas-de-Calais) 2 sept. 1848, ing. 30 oct. 1866, Coad. spir. 4 dec. 1882, ob. Sienhsien (Sinae) 3 sept. 1929; Prov. Campaniae.

287. — S. GEORGIUS GOFFIN, nat. Franc-Waret (Namurc.) 11 nov. 1897, ing. 23 sept. 1916, Schol. approb., ob. Arlon 4 sept. 1929; Prov. Belgicae.

288. — P. Edmundus Marguier, nat. Rougemont (Doubs) 14 nov. 1858, ing. 1 oct. 1878, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Tanaïl (Syria) 5 sept. 1929; Prov. Lugdunensis.

289. — P. Leo Monferran, nat. Pont-Vendres (Pyrénées Or.) 1 ian. 1859, ing. 20 apr. 1884, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Saint-Dénis (La Réunion) 5 sept. 1929; Prov. Tolosanae.

290. — P. Michael Moncarey, nat. Lille (Nord) 29 apr. 1875, ing. 6 oct. 1892, Coad. spir. 2 feb. 1908, ob. Enghien (Belgium) 5 sept. 1929; Prov. Campaniae.

291. —C. Iosephus M. Oregui, nat. Barinaga (Vizcaya) 13 aug. 1908, ingr. 24 ian. 1924, Coad. temp., approb., ob. Castillo de Javier (Navarra) 5 sept. 1929; Prov. Castellanae.

292. — P. Petrus Galletti, nat. Firenze 29 iun. 1846, ing. 29 nov. 1862, Coad. spir. 2 feb. 1877, ob. Galloro (Ariccia, Roma) 6 sept. 1929; Prov. Romanae.

293. — C. Aloisius Spolverini, nat. Bonferraro (Verona) 1 ian. 1844, ing. 30 sept. 1887, Coad. temp. form. 8 sept. 1891, ob. Roma 7 sept. 1929; Prov. Romanae.

294. — P. Valentinus Ruiz, nat. Quintana-Martín-Galíndez (Burgos) 16 dec. 1893, ing. 1 iul. 1911, Prof. 4 vot. 15 aug. 1928, ob. Castillo de Javier (Navarra) 8 sept. 1929; Prov. Castellanae.

295. — P. Gulielmus Aewerdonk, nat. Doesburg 10 ian. 1871, ingr. 26 sept. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1906, ob. 's-Hertogenbosch 9 sept. 1929; Prov. Neerlandicae.

296. — C. Antonius Dahdouh, nat. Bejebdine (Libanus, Syria) 10 oct. 1864, ing. 25 apr. 1886, Coad. temp. form. 15 aug. 1897, ob. Beyrouth (Syria) 9 sept. 1929; Prov. Lugdunensis.

297. — C. Franciscus Garate, nat. Azpeitia (Guipúzcoa) 3 feb. 1857, ing. 2 feb. 1874, Coad. temp. form. 15 aug. 1887, ob. Deusto-Bilbao (Vizcaya) 9 sept. 1929; Prov. Castellanae.

298. — C. Fridericus Melder, nat. Freiburg in Germania 14 nov. 1860, ing. 12 feb. 1887, Coad. temp. form. 15 augu. 1899, ob. New Orleans (Louisiana) 11 sept. 1929; Prov. Neo-Aurelianensis.

299. — P. Aloisius Le Grand, nat. Namur 18 oct. 1870, ing. 23 sept. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1905, ob. Bruxelles 12 sept. 1929; Prov. Belgicae.

300. — C. Ioannes Goessel, nat. Pachstein (Bas-Rhin) 24 ian. 1863, ing. 1 feb. 1880, Coad. temp. form. 2 feb. 1893, ob. Florennes (Belgium) 13 sept. 1929; Prov. Campaniae.

301. — P. Lucius Paranjothi, nat. Trichinopoly (India) 15 ian. 1861, ingr. 1 feb. 1883, Coad. spirit. 2 feb. 1899, ob. Irudeyakulam (India) 15 sept. 1929; Prov. Tolosanae.

302. — C. Felix Irizar, nat. Anzuola (Guipúzcoa) 20 feb. 1872, ing. 30 iul. 1890, Coad. temp. form. 15 aug. 1902, ob. Bilbao (Vizcaya) 15 sept. 1929; Prov. Castellanae.

303. — P. Iosephus Deharveng, nat. Mons 5 feb. 1867, ing. 9 oct. 1885, Coad. spir. 3 feb. 1902, ob. Bruxelles 19 sept. 1929; Prov. Belgicae.

304. — P. Franciscus Gillemon, nat. Bruges 17 iun. 1867, ing. 26 sept. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Tronchiennes 20 sept. 1929; Prov. Belgicae.

305. — P. Venceslaus Wirsig, nat. Wetzwaldo ad Reichenberg (Bohemia) 26 ian. 1857, ing. 7 sept. 1874, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Praha 21 sept. 1929; Prov. Cechoslovachiae.

306. — P. Ioannes Cap. Černý, nat. Lipník (Moravia) 20 oct. 1871, ing. 4 oct. 1894, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Praha 27 sept. 1929; Prov. Cechoslovachiae.

307. — C. Emmanuel Veríssimo, nat. Sobral do Campo (Beira-Baixa) 8 mart. 1883, ingr. 22 ian. 1906, Coad. temp. form. 2 feb. 1916, ob. S. Luís do Maranhão (Brasilia) 27 sept. 1929; Prov. Lusitaniae.

308. — P. Stanislaus Orzechowski, nat. Roma 5 oct. 1854, ing. 8 sept. 1870, Coad. spir. 15 aug. 1889, ob Roma 28 sept. 1929; Prov. Romanae.

PP. 220. — Schol. 18. — Coad. 70.
Univ. 308.

R. I. P.

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I.

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS
A DIE 1 IANUARII AD 31 DECEMBRIS 1929.

Ephemerides Curiae anno 1929.

2 ian. 1929. — Fr. Coad. Ignatius Banquells, qui ab anno 1880 in Curia degit (1), hodie octogesimum vitae suae annum complet: fraterna cum laetitia ei gratulaturi equidem hodie eramus, sed ob mortem carissimi Fr. Coad. Vincentii Del Vecchio, de quo mox sumus locuturi, haec festiva commemoratio in unum e proximis diebus reiecta est.

2 ian. — Summo mane pie in Domino obiit Fr. Coad. Vincentius Del Vecchio, e Prov. Romana, aetatis anno 61, Societatis 43, qui plurimos annos in Curia infirmarium simulque amanuensem egit (2).

Fr. Vincentius Del Vecchio Romae die 13 decembris 1868 ortus erat in ea Urbis parte prope Tiberim sita, quae antiquam Urbem magis redolet. Cum Patres Provinciae Romanae e domibus suis deturbati et in varias per Urbem parvas domos recepti essent, iuvenis Vincentius domum frequentabat tunc nostram ecclesiae S. Birgittae adnexam, ubi aliquot Universitatis Gregorianae professores degebant. Pio et candido adolescenti facile, Deo inspirante, subiit mens eos imitandi, quorum admiraretur virtutes, et Societatem ingressus est die 2 februarii 1886. Novitiatu Castri Gandulphi peracto, in Domum tertiae probationis tunc Albani constitutam missus est fabrum lignarium acturus aliisque domesticis officiis occupandus. Post triennium, R. P. Emmanuel De Caro (e Prov. Sic.), anno 1891 Praepositus Provinciae Romanae renuntiatus, Fratrem Del Vecchio sibi ut Socium Coadiutorem adscivit in eoque munere retinuit toto provincialatus sui tempore (1891-1896).

Anno demum 1896 optimus Frater adscriptus est Curiae eique ad mortem usque addictus mansit, primum quidem ut amanuensis, deinde vero, id est ab anno 1897, ut infirmarius, quin tamen amanuensis officium penitus deponeret. Ad infirmarii munus Frater Del Vecchio

(1) Cfr. supra, pp. 123 (nota), 453.

(2) Cfr. supra, pag. 401 (*30 oct.*).

brevi aptissimum sese ostendit, et magnam se in eo perficiendi curam semper habuit. Et sane paulatim tantam peritiam acquisivit, ut medici ei plurimum fiderent et quandoque in aliquot casibus urgentioribus nec opinatis quosdam infirmos a certa morte per eius industriam servatos esse ipsi medici agnoverunt (1).

Infirmis, maxime gravioribus, assidue aderat, et saepe noctes integras ad eorum lectum transigebat, et magna cum caritate non minus corporis quam animae sollicitus, tempestive Superiores ipsosque aegrotos de Sacramentis recipiendis prudenter monebat. Etiam in diuturnis infirmitatibus patienter sese accommodabat molestiis ex ipsa diuturnitate facile obvenientibus: notum domi fuit v. gr. Fratrem Del Vecchio olim per complures continenter annos singulis omnino noctibus stata hora debuisse somnum abrumpere ut suam infirmarii operam praeberet cuidam e Nostris ea indigenti; quod sine querelis et magna cum animi tranquillitate semper praestitit.

Postremis vitae suae annis, sensim sine sensu ingravescente morbo, quo iam diu laborare coeperat, et sanguine paulatim veneno infecto, ab infirmarii munere anno 1927 levatus est; sed, quantum vires sinebant, etsi doloribus plenus, regesta aliaque id genus libenter manu transcribere perrexit, gaudens quod etiam tum aliquid utilitatis Societati afferre poterat.

Verum, remediis vel efficacissimis frustra tentatis, morbus eo pervenit ut nihil nisi mors esset exspectanda. Die 30 octobris 1928, dum communi mensae inter Fratres Sanctum suum Patronum Alfonsum Rodriguez festiva laetitia celebrantes assidet, gravissima morbi crisi attactus est (2); inde in cubiculum delatus et sanctis Sacramentis munitus, in eo videbatur esse ut mox e vita discederet. Sed noctu paulatim reviviscere coepit. Reliquos duos menses haud ordinariae patientiae exempla praebere perrexit: cum enim praeter dolores corporis magna quoque animi desolatione, quam frustra celare conabatur, affligeretur, nullum querimoniae signum edebat, nec nisi tacitis lacrimis vel summum maestis sed christiana resignatione plenis verbis cum Fratribus sibi magis familiaribus dolorem suum levabat. Ita a mundano pulvere tribulationis igne purificatus, die 1 ianuarii 1931, nova morbi crisi superveniente ad mortis articulum deductus est et post bene longam agoniam lucescente die 2 ianuarii pie in Domino obiit. — R. I. P.

3 ian. 1929. — Carissimo defuncto in sacello domestico simplici nostra sueta ratione parentamus.

13 ian. — P. Cornelius Byrne, Adiutor Praesidis Secretariatus Congregationum Marianarum (3), Vindobonam, in urbem Austriae

---

(1) Cfr. v. gr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1925, pag. 454 (*31 aug.*).

(2) V. supra, pag. 401 (*30 oct.*).

(3) Cfr. supra, pag. 401 (*2 nov.*).

principem, proficiscitur, linguae germanicae operam daturus simulque ut cum P. Alberto Boegle (1) editionem libelli periodici « Acies Ordinata » interim curet, ibique die *2 febr.* ultima vota nuncupat, nec Romam redit nisi die *29 aug.*

24 ian. 1929. — R. P. Iosephus Barrachina eo morbo tentari incipit, quo post aliquot menses ad mortem deducetur: hodie primum lecto decumbere cogitur.

31 ian. — Patrem Nostrum ex Hispania cum P. Camillo Crivelli et Fr. Coad. Aemilio Herrero feliciter redeuntem laeti excepimus (2).

2 febr. — Fr. Coad. Ignatius Banquells (3) quinquagesimum hodie celebrat anniversarium ultimorum votorum anno 1879, paulo ante quam Romam mitteretur, in Hispania (Prov. Arag.) nuncupatorum.

4 febr. — Decretum, quo Missio Madurensis ad Viceprovinciae dignitatem evehitur (4), hodie ad mensam legitur (ut fieri solet etiam in Curia pro huiusmodi decretis) et promulgatur.

11 febr. — Lateranensibus Pactionibus hodie feliciter firmatis, totius Urbis atque adeo Orbis universi laetitiam participamus, domus frontem vexillis et vespere etiam facibus ornantes. In omnibus autem Romanis domibus nostris hymnus « Te Deum » in gratiarum actionem recitandus indicitur. Post coenam, Pater Noster e colloquio rediens sibi a Beatissimo Patre nuper concesso, multa nobis refert de magna Sanctitatis Suae benevolentia et intimo gaudio (5).

25 febr. — Romae pie in Domino obiit Emus. Card. Antonius Vico, Episcopus Portuensis ac S. Rufinae, Praefectus S. Congr. Rituum; cuius mors ideo hic commemoranda videtur, quod Eminentissimus Dominus, cum Societati addictissimus et Nostrorum Sanctorum studiosissimus esset, Societatis meritorum particeps abhinc aliquot annos a Patre Nostro in grati animi signum declaratus fuerat (6).

25 mart. — R. P. Iosephus Barrachina, Hispaniae Assistens, iam aegrotus (7), cum P. Henrico del Portillo et Fratre Infirmario Ariciam in domum probationis Prov. Romanae sese recipit, aeris mutationem experturus; sed, frustraneis quibuscumque humanae providentiae industriis effectis, die *3 apr.* Romam redit, sanationis spe in dies decrescente.

---

(1) V. supra, pag. 399 (*9 iun.*).
(2) V. supra, pp. 357-360.
(3) V. supra, pag. 731 (*2 ian.*).
(4) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1928, pag. 95; — Item cfr. hic supra, pag. 411.
(5) V. supra, pag. 319; — cfr. etiam *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pag. 318.
(6) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1923, pag. 114 (*20 sept.*).
(7) V. supra, pag. 733 (*24 ian.*).

26 mart. 1929. — Romae pie obiit E.mus Card. Aurelius Galli, qui dum Secretarius a Litteris ad Principes erat, ob insignem in nos benevolentiam Societatis meritorum particeps effectus fuerat die 11 februarii 1923.

4-12 apr. — P. Gulielmus Kea, Director generalis delegatus Apostolatus Orationis, Lutetiae Parisiorum cuidam conventui adest.

5 apr. — P. Aemilius Villaret (Prov. Camp.), Substitutus Secretarii Societatis pro Assistentia Galliae, Praeses Secretariatus Congregationum Marianarum renuntiatur (1); interim tamen etiam Substitutum agere perget, donec novus adveniat.

17 apr. — Nova Assistentia Slavica constituitur (2).

2 maii. — R. P. Iosephus Barrachina, Hispaniae Assistens, ultimis Sacramentis munitur; mortis tamen periculum mox non ita imminens evadit.

6-9 maii. — R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens, annuam visitationem ex delegatione Patris Nostri instituit communitatis Pontificii Instituti Orientalis.

8 maii. — Promulgationi Decreti de miraculis pro beatificatione Ven. P. Claudii de la Colombière in aedibus Vaticanis laeti adsumus (3).

9-20 maii. — P. Carolus Miccinelli, Postulator generalis causarum NN. VV. et BB., Paredium petit (Paray-le-Monial, Prov. Lugdun.), recognitioni iuridicae ex officio adfuturus exuviarum Ven. P. Claudii de la Colombière et reliquias quasdam inde allaturus ob proximam Venerabilis Patris beatificationem. — Romam rediens idem P. Postulator Salisburgum in Austria contendit ad parandos processus ordinarios mox ibi inchoandos de insigni Famula Dei Comitissa Teresia Ledóchowska, Patris Nostri sorore, Instituti a S. Petro Claver pro Missionibus Africanis Fundatrice, quae magna cum sanctitatis fama Romae obiit die 6 iulii 1922: nam huius causae curam, instanter petentibus spiritualibus Famulae Dei filiabus, noster Postulator agendam suscepit.

13-16 maii. — Recurrente altero centenario canonizationis S. Ioannis Nepomuceni (4), eius triduum et festum hoc hanno peculiaribus quibusdam pietatis exercitiis in communi peractis celebramus.

22-26 maii. — P. Antonius M. Stravino, Oeconomus Generalis,

---

(1) V. *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pag. 327.

(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 329-331; — item cfr. hic supra, pag. 290.

(3) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 213-223.

(4) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 331-333.

Neapolim petit ut, nomine Patris Nostri, adsit sollemni coronationi imaginis B. M. V. in nostra probationis domo illius Provincia (1).

29 maii 1929. — Pater Noster primum lapidem novae Domus Exercitiorum domui nostrae proximae rite dedicat et ad ima demittit (2).

30 maii. — Hodie, in festo SS. Corporis Christi, novum domesticum sacellum novumque triclinium et aulam recreationis item novam inauguramus: nam, cum illa aedium pars nondum esset plene perfecta, hucusque sacello et triclinio usi sumus, quae Scriptorum communitati dein erunt reservata (3).

6 iun. — Hodie, in primis vesperis festi SS. Cordis Iesu, pie in Domino obiit R. P. Iosephus Barrachina, Assistens Hispaniae (4).

7 iun. — Hoc die festo SS. Cordis Iesu in aedibus Vaticanis decretum de « tuto » pro beatificatione Ven. P. de la Colombière laeti audimus (5).

8 iun. — Optatissimo defuncto R. P. Iosepho Barrachina pie parentamus.

9 iun. — P. Henricus Dubois, e Secretariatu Missionum, diploma recipit quo « Officier d'Académie » a gubernio Gallico renuntiatur.

10-15 iun. — Adveniunt complures Patres, qui Apostolatum Orationis aliaque de SS. Corde opera repraesentent in sollemniis beatificationis Ven. P. Claudii de la Colombière (6): post festa paulatim abscedunt.

13 iun. — Advenit et Curiae adnumeratur P. Rufus Mendizábal, e Prov. Castellana, hactenus Rector Scholae Apostolicae Xaverianae, qui Substitutum primum Secretarii Societatis pro Assistentia Hispaniae aget loco P. Marii Ciáurriz in suam Castellanam Provinciam ob adversam valetudinem mox reversuri (die *17 iun.*).

13 iun. — In templo SS. Nominis Iesu, adstante Patre Nostro et coram compluribus primae notae viris, inaugurata sunt nova organa quae, curante P. Petro Tacchi Venturi, ex multorum benefactorum liberalitate, secundum recentissimas artis musicae leges optime confecta sunt in officinis Equitis Tamburini in urbe Crema in Insubria.

---

(1) V. supra, pp. 638-641. — Cfr. etiam *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 301-302.

(2) In pergameno papyro lapidi inserto haec legebantur: — *A. M. D. G.* — *Pio XI Pontifice Maximo — Ab inito Sacerdotio annum quinquagesimum agente — Huius Domus Exercitiorum ad clivum Ianiculi inchoandae — Lapidem primum — A. R. P. Wlodimirus Ledóchowski — Praepositus Generalis Societatis Iesu — pridie Festi SS. Corporis Christi — consecravit posuitque* — XXIX *Maii* MCMXXIX.

(3) Cfr. supra, pp. 588-590.

(4) V. *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 333-335. — V. etiam supra, pp. 667-669.

(5) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 224-233.

(6) V. infra, pp. 741-742.

15 iun. 1929. — RR. DD. Comptonus Galton S. I. (Prov. Angl.), qui noster hospes est (1), hodie in sacello domestico sollemnem peragit consecrationem 18 petrarum sacrarum pro altaribus nostri oratorii publici mox inaugurandi.

16 iun. — Sollemnis beatificatio Ven. P. Claudii de la Colombière (2). — Eodem die in horto nostrae domus inauguratur monumentum SS. Cordi Iesu erectum (3).

16 iun. — Primus Assistens Slavicus renuntiatur R. P. Ladislaus Jankiewicz (4), qui tamen paulo post morbo impeditur quominus interea Romam veniat et die *7 dec.* difficilem chirurgicam operationem Cracoviae subire debet.

16 iun.-12 oct. — P. Henricus Dubois, e Secretariatu Missionum, aliquot menses in Gallia versatur.

17-19 iun. — Dum in templo SS. Nominis Iesu in honorem novensilis Beati Claudii de la Colombière sollemnia triduana peraguntur, etiam domi eum triduanis festivitatibus pie colimus.

24 iun.-7 oct. — P. Gulielmus Kratz, Scriptor Curiae adnumeratus, aliquot menses in Germania versatur.

28 iun. — Summus Pontifex Patri Nostro in signum benevolentiae remittit magnum florum artificialium fasciculum Sibi, ut mos est, oblatum die beatificationis Patris de la Colombière.

12 iul.-25 oct. — P. Gulielmus Kea, Director generalis delegatus Apostolatus Orationis, in Neerlandia aliisque regionibus finitimis versatur, opus sibi commissum promoturus.

24 iul. — Consuetum S. Wlodimiri festum, Patris Nostri onomasticon (5), laetius reddunt complures Patres e Pontificiis Seminariis Regionalibus Societati commissis Romam adventantes pro sollemni Seminariorum peregrinatione occasione Iubilaei Summi Pontificis et pro memoranda supplicatione in crastinum indicta, qua primum post annum 1870 Summus Pontifex per forum S. Petri SS. Sacramentum deferet (6).

31 iul. — Novus Assistens Hispaniae, R. P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, e Prov. Legionensi, hactenus Instructor tertiae probationis Salmanticae, hodie renuntiatur (7); sed Romam non nisi exeunte mense septembri veniet.

---

(1) V. infra, pag. 741 (*16 maii*).

(2) V. supra, pp. 317, 331-350.

(3) V. supra, pp. 317-318, 483, 490, 511.

(4) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pag. 335.

(5) Cfr. supra, pag. 316.

(6) Cfr. supra, pag. 321; item infra, pag. 742 (*19-26 iul.*).

(7) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pag. 338 sq.

31 iul. 1929. — Em. Card. Alfredus Ildephonsus Schuster, O. S. B., novus Archiepiscopus Mediolanensis, nuper a Summo Pontifice consecratus, qui dum esset Abbas S. Pauli extra muros, quotannis secundum antiquum morem die festo S. P. Ignatii noster commensalis esse solebat (1), etiam hoc anno antequam Roma discederet apud nos devertere dignatus est, et sub finem recreationis, Patri Nostro gratulanti et bene auguranti pro novo eoque permagno munere ipsi commisso respondens, multa locutus est de suo erga Societatem amore, et ex animo nobis omnibus benedixit.

2 aug. — In villam Tusculanam abimus, manentibus tamen Romae quibusdam Patribus et aliquot Fratribus cum P. Ministro, cuius vices Tusculi aget P. Antonius Dragon, Substitutus Secretarii pro Assistentia Angliae. — Pater Noster item Romae manet ob negotia quaedam, nec Tusculum nisi identidem et ad breve tempus venire potest. — Item abest R. P. Franciscus de P. Nalbone, Italiae Assistens et domus Vicesuperior, qui nonnisi *19 aug.* Tusculum venit: interea eius vices gerit R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens.

3 aug.-4 oct. — P. Henricus van Offeren, Adiutor Oeconomi Generalis, ob quaedam negotia in Neerlandiam finitimasque aliquot Provincias mittitur.

15 aug. — Romam advenit et Curiae adnumeratur ac postridie Tusculum venit P. Leo Studer, e Prov. Germaniae Superioris, novus Substitutus Secretarii pro Assistentia Germaniae: nam P. Antonius Höss mox (die *27 aug.*) in suam Provinciam item Germaniae Superioris est reversurus Praefectus spiritualis alumnorum Seminarii Missionum in Helvetia.

19 aug.-8 sept. — P. Carolus Miccinelli, Postulator generalis, Hispaniam petit ad parandos processus apostolicos de duobus miraculis, quae patrata narrantur intercedente Ven. P. Iosepho M. Pignatelli.

24 aug.-11 sept. — Pater Noster Catacium in Bruttiis (Catanzaro in Calabria) petit ibique in Pontificio Seminario Regionali Societati commisso (Prov. Neapol.) aliquantulum quiescit et Exercitia Spiritualia peragit.

3-21 sept. — P. Antonius M. Stravino, Oeconomus Generalis, Catacium cum Patre Nostro collocuturus petit indeque in Siciliam sese confert ob quaedam negotia.

11-12 sept. — Pater Noster, Catacio Romam revertens, in Archi-

(1) In memoriam Pii VII, qui Abbas S. Pauli olim fuerat, post restitutam Societatem inductus mos est ut die S. P. Ignatii Abbas S. Pauli apud Patrem Generalem Societatis coenet et vicissim die S. Benedicti Pater Generalis noster apud Abbatem S. Pauli.

coenobio Montis Cassini consistit, ab illis Monachis Benedictinis comiter admodum exceptus, ibique gloriosum S. Benedicti sepulcrum occasione XIV centenarii fundationis Monasterii Cassinensis est veneratus simulque memorias S. P. Ignatii, qui ibi aliquamdiu commoratus est, invisit.

16 sept. 1929. — P. Augustinus Tesio, e Provincia Taurinensi, Romam advenit et Curiae adnumeratur ut Vice-Procurator Generalis.

16-18 sept. — Conventus Directorum Congregationum Marianarum in Italia domi nostrae habetur, praeside Patre Nostro: adsunt Praepositi Provinciarum Italiae et terni Directores e quavis Italiae Provincia (1). Conventum moderatur P. Augustinus Garagnani, Director Congregationis Primae-Primariae: secretarii munere fungitur P. Hilarius Azzolini; adest quoque P. Aemilius Villaret, Praeses Secretariatus Congregationum Marianarum.

19-20 sept. — Conventus Praepositorum Provinciarum Italiae, Praeside Patre Nostro.

26 sept. — Peregrinationi hodie a variis Religiosorum Ordinum delegati peragendae ad Cassinense Archicoenobium Benedictinum occasione XIV centenarii eius fundationis indictae undecim e Nostris intersunt ut Societatis personam agant, inter quos R. P. Petrus Boetto Procurator Generalis idemque Praepositus Prov. Romanae, P. Augustinus Tesio, P. Carolus Miccinelli, P. Iosephus Gianfranceschi Rector Pont. Univ. Gregorianae, P. Iosephus Filograssi, P. Vendelinus Javorka ritus orientalis, P. Carolus Silva-Tarouca, P. Albertus Vaccari, P. Petrus Lennerz, etc. (2).

27 sept. — Romam venit R. P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, novus Assistens Hispaniae (3), qui in proxima PP. Assistentium consultatione, adstantibus etiam aliis de iure vocandis, praescriptum iuramentum emittet.

27 sept.-8 nov. — P. Arthurus Codina Hispaniam petit translationem *Monumentorum histor. S. I.* paraturus (4).

30 sept. — Patres et Fratres Curiae addicti, post peracta Exercitia, e villa Tusculana Romam redeunt.

3 oct. — P. Franciscus Xav. de Durat, e Prov. Lugdunensi, novus Substitutus Secretarii pro Assistentia Galliae (5), hodie Romam venit et Curiae adnumeratur.

---

(1) Eorum nomina v. infra, pag. 743 (*12-21 sept.*).

(2) Epistolam Patris Nostri ad RR. DD. Abbatem Cassinensem deferebant, quam supra rettulimus: pag. 707.

(3) Cfr. supra, pag. 737 (*31 iul.*).

(4) V. supra, pag. 492.

(5) Cfr. supra, pag. 734 (*5 apr.*).

14 oct. 1929. — P. Stephanus Marc. Cris. Sakač, e Viceprov. Iugoslaviae, ritui orientali addictus, ex Pontif. Instituto Orientali, ubi iam diu degebat, in Curiam venit ut Substitutus Secretarii pro Assistentia Slavica.

27 oct. — Sollemnem benedictionem nostri Oratorii publici S. Francisco Borgiae dicati peragit Emus. Card. Petrus Segura y Saenz, Hispaniae Primas (1).

27 oct. — Primarius lapis Pontificii Collegii Brasiliensis, quod Societati committetur, a Summo Pontifice iam in Aedibus Vaticanis benedictus, ipsius Beatissimi Patris nomine hodie ad ima demittitur ab Emo. Card. Caietano Bisleti, adstante Patre Nostro cum P. Secretario et P. Antonio Stravino Oeconomo Generali (2).

— In papyro pergameno lapidi occluso haec legebantur:

Ad maiorem Dei laudem Ecclesiaeque decus
Brasiliensibus sacerdotibus prope Veritatis Sedem instituendis
Patrias regiones pie sapienter exculturis
VI Kal. Nov. A. D. MCMXXIX
In villa olim Maffeiorum ad viam Aureliam
Per Emin. Card. Caietanum Bisleti
Sacrae Semin. et Univers. Stud. Congr. Praefectum
Novi aedificii Divino Cordi Iesu dicandi
Primus statuitur lapis
Iam lustrali ritu praeparatus
A PIO XI PONT. MAX.
Remque omnem sustinent fovent
Paterna et munifica voluntas
Ipsius Supremi Antistitis
Atque omnium Brasil. Episcoporum collata pecunia
Patribus S. I. iuvenum institutione per S. Sedem commissa
Cunctis Brasil. Civibus Faventibus.

Romae, die festo D. N. I. Ch. Regis.

2 nov. — P. Augustinus Wand (Prov. Missour.), hactenus Praefectus nostrae bibliothecae, in Pontificium Institutum Orientale transmigrat, archaeologiae christianae operam daturus.

---

(1) V. supra, pp. 313-314, 327-328.

(2) Summus Pontifex per Cardinalem Secretarium Status misso telegrammate fausta adprecari dignatus est in hunc modum:

Emo. Cardinale Bisleti - Roma. — Benedicendosi prima pietra Seminario Brasiliano, Santo Padre invia di cuore Apostolica Benedizione augurando nuovo Istituto felice focolare perenni energie sviluppo vita religiosa cattolico Brasile. — Card. GASPARRI.

23 nov. 1929. — R. P. Augustinus Bea (Prov. Germ. Sup.), qui nuper Missionem Iaponicam (Prov. Germ. Inf.) visitavit, Patri Nostro nomine Excell. Ducis Shinijro Yamamoto offert sericum pannum pretiosum, quod eidem domino Yamamoto ipse Iaponiae Imperator dono dederat (1): ex hoc panno casula deinde praepulchra facta est.

3 dec. — Sollemnis audientia Summi Pontificis, cui vota et dona totius Societatis oblata sunt, ut alias dictum est (2).

8 dec. — Cum hodie occurrat 75us anniversarius a dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis B. M. V., sicut complures aliae domus, ita etiam nostra tapetibus perbelle ornata est, et vespere lampadibus electricis coruscat.

15 dec. — In Basilica Vaticana beatificationi Martyrum Angliae laeti adsumus (3).

22 dec. — In Basilica Vaticana novum B. Ioannem Ogilvie, Martyrem Scotum, laeti salutamus (4).

29 dec. — P. Dionysius Fernández, e Prov. Legionensi, Director *Monumentorum histor. S. I.* hodie cum Fratribus Raimundo Argemir et Iosepho Moles Romam advenit, nobiscum deinceps commoraturus: libri et documenta ad illud opus pertinentia brevi sequentur (5).

Hospites Nostri anno 1929.

Domi nostrae hospitio excepti sunt:

2-5 ian. 1929. — R. P. Iaphet Stan. Jollain, Praepositus Provinciae Neapolitanae.

8-12 ian. — R. P. Petrus Grana, Provinciae Venetae Praepositus.

15-17 febr. — P. Ioannes M. Barrella (Prov. Neap.), Rector Pontificii Seminarii Campani.

5 mart.-14 apr. — RR. DD. Augustus Haouisée (Prov. Franc.), Episcopus tit. Cercinitanus, Coadiutor Vicarii Apostolici Nankinensis in Sinis.

21-26 mart. — P. Iosephus Kreitmaier, Superior Domus Scriptorum Monacensis (Prov. Germ. Super.).

3 apr.-9 maii. — P. Theodorus Monnens (Prov. Belg.), qui in Pont. Univ. Gregoriana aliquot lectiones tradit de Missiologia, quam vocant.

---

(1) Cfr. supra, pag. 708.

(2) V. supra, pp. 449-480.

(3) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 240-278.

(4) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 279-298.

(5) Cfr. supra, pag. 492; — item cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pag. 339.

4-8 apr. 1929. — P. Paulus Léonard (Prov. Franc.) (1).

16 apr.-3 maii. — P. Carolus Kneller (Prov. Germ. Inf.), Scriptor historiae ecclesiasticae.

19-28 apr. — P. Ioannes Laures (Prov. Germ. Inf.), Professor in Universitate Tokiensi.

12 maii-9 iun. — R. P. Petrus Willekens (Prov. Neerl.), Visitator designatus Viceprovinciae Madurensis (Prov. Tolos.).

16-20 maii. — R. P. Ioachimus Vilallonga, Praepositus Provinciae Aragoniae, ad Insulas Philippinas Visitator Apostolicus mox profecturus (2).

16 maii-17 iun. — RR. DD. Comptonus Galton (Prov. Angl.), Episcopus tit. Petenissenus, Vicarius Apostolicus Guianae Britannicae.

22-31 maii. — P. Dominicus M. Palermo Lazzarini (Prov. Rom.), Praefectus studiorum in Pont. Univ. Gregoriana.

25-26 maii. — R. P. Petrus Grana, Praepositus Provinciae Venetae, cum suo Socio P. Iosepho Rosan.

30 maii-7 iun. — R. P. Ferdinandus Willaert, Praepositus Provinciae Belgicae.

3-7 iun. — P. Fridericus Basenach (Prov. Tolos.), in Viceprovinciam Madurensem profecturus.

10-18 iun. — R. P. Bernardus Bley (Prov. Germ. Inf.), Viceprovincialis in Regione Germaniae Orientalis.

10-18 iun. — Pro beatificatione Ven. P. Claudii de la Colombière: P. Michael Magno, e Missione Graeca (Prov. Sic.); — *12-19 iun.*: P. Paulus de Maistre (Prov. Lugdun.), P. Augustus Hamon (Prov. Franc.), P. Iosephus Hättenschwiller (Prov. Austr.); — *13-18 iun.*: P. Iulius de Surdun (Prov. Lugdun.), qui aliquo cognationis vinculo cum futuro Beato Claudio devincitur; — *13 iun.-6 iul.*: P. Felix Restrepo (Prov. Columb.); — *13-17 iun.*: P. Iosephus Meilak, ex insula Melita (Prov. Sic.); — *13-22 iun.*: P. Milan M. Pavelić et Ioannes Nep. Zoré (Viceprov. Iugoslav.), P. Franciscus Xav. Zsiros (Prov. Hung.); — *13-28 iun.*: P. Alfredus Méndez Medina (Prov. Mexic.); — *14-16 iun.*: P. Antonius Wojnar (Prov. Pol. M. et Maz.), P. Franciscus Kwiatkowski (Prov. Pol. Min.); — *14-19 iun.*: PP. Fridericus Rossel (3) et Emmanuel de la Chevasnerie (Prov. Lugdun.); — *14-20 iun.*:

---

(1) Cfr. supra, pag. 590.

(2) V. supra, pag. 408 (*8 mart. 1929*).

(3) Vicepostulatorem egerat causae beatificationis P. Claudii de la Colombière in Gallia.

R. P. Ioannes Costa de Beauregard, Praepositus Prov. Lugdunensis, cum PP. Iosepho du Bouchet et Iosepho Bossan (1), ex eadem Prov. Lugdunensi (2); — *14-20 iun.*: P. Archangelus Potvain (Prov. Camp.), PP. Carolus Parra, Victor Marmoiton et Iosephus Vassal (Prov. Tolos.); — *14-26 iun.*: R. P. Leontius Aurel, Praepositus Prov. Tolosanae (3); — *15-17 iun.*: P. Ambrosius M. Fiocchi (Prov. Ven., qui novi Beati vitam hac occasione distribuendam italice scripsit; — *15-20 iun.*: P. Sebastianus Pinto (Prov. Lusit.), P. Vedastus Guizard (Prov. Tolos.), P. Ioannes M. Derély (Prov. Camp.); — *15-23 iun.*: P. Alfonsus Torres (Prov. Tolet.), P. Franciscus Muñoz (Prov. Baet.); — *15-24 iun.*: P. Ioannes Králiček (Prov. Cechoslov.); — *15-25 iun.*: PP. Remigius Vilariño et Iulianus Eguía (Prov. Castell.); — *15-26 iun.*: P. Petrus Ios. Blanco (Prov. Arag.), P. Iosephus Jáñez (Prov. Legion.); — *15-30 iun.*: P. Iustus Beguiristáin (Prov. Argent.-Chil.).

16 iun. 1929. — RR. DD. Michael d'Herbigny (Prov. Camp.), Episcopus tit. Iliensis, Praeses Pontif. Instituti Orientali (4).

23 iun.-1 iul. — P. Leo Ueding (Prov. Germ. Inf.), adiutor editoris operum S. Petri Canisii.

26-28 iun. — R. P. Aloisius Ersin, novus Provinciae Austriae Praepositus.

28 iun.-9 iul. — P. Iosephus O. Rossi, e Missione Centro-Americana (Prov. Mexic).

1-5 iul. — P. Caelestinus Testore (Prov. Taurin.), Scriptor; — item *3-6 dec.*

4 iul. — Excell.mus ac RR. DD. Antoninus Zecchini (Prov. Ven.), Archiepiscopus tit. Myrensis et Nuntius Apostolicus in Lettonia.

5-6 iul. — P. Iacobus Malaguti (Prov. Ven.), Rector Collegii Brixiensis.

19-26 iul. — P. Ioannes M. Barrella (Prov. Neap.) Rector Pontif. Seminarii Campani, P. Iosephus Peano (Prov. Taur.) Rector Pontif. Seminarii Kularitani in Sardinia, P. Iosephus De Giovanni (Prov. Neap.) Rector Pontif. Seminarii Catacensis, P. Raphael Bitetti (Prov. Rom.) Rector Pontif. Collegii Anagnini, cum quibusdam Patribus ex singulis his Seminariis (5).

---

(1) Curat etiam nunc aedificationem novi templi prope nostram Domum Parediensem, ubi Beati corpus asservatur et colitur.

(2) Provincia Lugdunensis primas partes iure obtinet in his festivitatibus tanti sui sodalis.

(3) Venit etiam relaturus de visitatione nuper a se facta suae Missionis Tananarivensis: cfr. supra, pag. 412.

(4) Cfr. infra, pag. 746 (*16 iun.*).

(5) Cfr. supra, pp. 321, 736 (*24 iul.*).

25 iul.-17 aug. 1929. — P. Edmundus Walsh (Prov. Maryl. - N. E.) cum Fr. Schol. Gustavo I. Dumas (Prov. Maryl. - N. E.).

1-8 aug. — P. Franciscus Xav. Moretti (Prov. Rom.).

2-28 aug. (ruri). — P. Carolus Silva Tarouca (Prov. Cechosl.) et P. Ioannes Hanssens (Prov. Belg.), Professores in Pontif. Universitate Gregoriana.

3 aug.-24 sept. (ruri). — P. Ioannes Busnelli (Prov. Ven.), Scriptor period. « Civiltà Cattolica ».

10-25 aug. — P. Carolus Newdigate (Prov. Angl.), Vicepostulator causae VV. MM. Angliae.

12-21 sept. — Pro conventu Directorum Congregationum Marianarum in Italia (1) et conventu Praepositorum Provinciarum Italiae (2): R. P. Dominicus Prestifilippo (Praep. Prov. Sic.), R. P. Petrus Grana (Praep. Prov. Ven.), R. P. Petrus Boetto (Praep. Prov. Rom.), R. P. Alphonsus M. Martin (Praep. Prov. Taur.), R. P. Iosephus Manzo (Praep. Prov. Neap.); — e Prov. Romana: PP. Augustinus Garagnani, Iosephus Filograssi, Angelus Linus Tomé; — e Prov. Neapolitana: PP. Ioannes Aromatisi, Seraphinus M. Atella, Iulius Milone; — e Prov. Sicula: PP. Salvator Gallo, Bartolomaeus Padua, Edgarus Tabone; — e Prov. Taurinensi: PP. Iosephus Abbo, Carolus Cavriani, Secundus Goria; — e Prov. Veneta: PP. Ambrosius M. Fiocchi, Alexius Magni, Attilius Peruffo.

18-27 sept. (ruri). — P. Petrus Franceschini (Prov. Rom.), Exercitia Spiritualia nostris FF. Coadiutoribus traditurus.

28 sept.-5 oct. — P. Aloisius Gurgo Salice, Procurator Prov. Taurinensis.

2 oct.-23 nov. — P. Alfonsus Väth (Prov. Germ. Super.).

3-7 oct. — P. Carolus Gonthier (Prov. Lugdun.).

7-11 oct. — P. Petrus Chan (Prov. Lusit.), e Missione Sinensi Shiu-hing.

7-15 oct. — P. Augustinus Bernard (Prov. Camp.), Rector Collegii Tientsinensis in Sinis.

19-23 oct. — P. Iaphet Stan. Jollain (Prov. Neap.); — item *27-29 nov.*

20-30 oct. — P. Iosephus Schröteler (Prov. Germ. Infer.).

21-25 oct. — P. Carolus Brust (Prov. Germ. Infer.), Rector Collegii Maximi Valkenburgensis.

21-30 oct. — P. Ioannes Hanssens (Prov. Belg.), Professor in Pontif. Universitate Gregoriana.

---

(1) Cfr. supra, pag. 738 (*16-18 sept.*).

(2) Cfr. supra, pag. 738 (*19-20 sept.*).

27 oct.-4 nov. 1929. — R. P. Dominicus Prestifilippo, Praepositus Provinciae Siculae.

27-30 oct. — P. Alfonsus Torres (Prov. Baet.), Praepositus Domus Professae Matritensis (Prov. Tolet.).

29 oct.-2 nov. — P. Adelelmus Frias (Prov. Castell.); — item *12 nov.-31 dec.*

1 nov.-31 dec. — P. Edmundus Elter (Prov. Pol. M. et Maz.), Professor in Pontif. Universitate Gregoriana (1).

12-16 nov. — P. Iosephus Portabella (Prov. Arag.), qui Romam defert processus apostolicos in Hispania nuper confectos de duobus miraculis Ven. P. Iosephi M. Pignatelli.

21 nov.-31 dec. — P. Carolus Newdigate (Prov. Angl.), Vicepostulator in causa beatificationis VV. Martyrum Angliae.

23 nov.-3 dec. — P. Alfonsus Verhoosel, Procurator Missionum Provinciae Belgicae.

28 nov.-6 dec. — Complures Patres et Scholastici, praesertim ad exteras Missiones pertinentes, Romam vocati pro sollemni audientia Summi Pontificis die 3 decembris habita, de qua alias fuse locuti sumus (2). — Eorum nomina tunc item dedimus (3).

1-20 dec. — P. Ioannes Mécérian (Prov. Lugdun.), e Missione Syriae.

3-12 dec. — R. P. Petrus Boetto, Praepositus Provinciae Romanae.

9-31 dec. — P. Edmundus Walsh (Prov. Maryl. - N. E.).

9-18 dec. — P. Dominicus Gori (Prov. Rom.).

13-18 dec. — PP. Georgius Gallagher et Paulus Whittaker, e Provincia Angliae, Praepositum Provincialem repraesentaturi in proxima Martyrum Angliae beatificatione.

21-26 dec. — PP. Thomas Agius et Iosephus Murray, e Provincia Angliae, Nostrorum in Scotia degentium personam gesturi in proxima beatificatione Ven. P. Ioannis Ogilvie.

24-31 dec. — P. Ioannes Corominas (Prov. Argent.-Chil.).

28-31 dec. — R. P. Ioannes Lauer, Praepositus Provinciae Germaniae Inferioris.

---

(1) Huc usque P. Edmundus Elter Curiae adscriptus erat, ut Adiutor Secretarii praesertim pro quibusdam negotiis et epistolis Poloniam respicientibus; sed cum nunc brevi speretur venturus Assistens Slavicus et eiusdem Assistentiae iam adsit Substitutus, P. Elter quo liberior sit ad suam ethicae scholam curandam deinceps uni Gregorianae Universitati adscriptus erit, quamquam interea domi nostrae deget ut hospes.

(2) V. supra, pp. 449-480.

(3) V. supra, pp. 456-459.

Visitatores illustres, Hospites externi (1), Peregrinorum manipuli Patrem Nostrum invisentes anno 1929.

Praeter Cardinales Romae residentes et Episcopos bene multos, quos singulos recensere longum est, Patrem Nostrum anno 1929 adierunt:

9 febr. 1929 — Excell.mus D. Ladislaus Skrzyński, Legatus Poloniae apud Sanctam Sedem; — item *25 mart.*, et alias.

11 mart. — Ill.mus D. Adv. Franciscus Pacelli.

18 mart. — Em. Card. Raimundus M. Rouleau, O. P., Archiepiscopus Quebecensis.

21 mart. — Excell.mus D. Rudolphus Kohlruss, Austriae Legatus apud Sanctam Sedem; — item die *31 dec.*

21 mart. — Excell.mus Princeps de Lóngay.

26 mart. — Vigintisex alumni nostri Convictus Oenipontani « Canisianum » nuncupati (Prov. Austr.).

28 mart. — Quinquaginta circiter alumni nostri Collegii Feldkirchiensis (Prov. Germ. Sup.) cum uno alterove Patre eos comitante.

30 mart. — Quinquaginta alumni nostrorum Collegiorum Prov. Hiberniae, cum duobus Patribus eos comitantibus.

31 mart. — Septingenti circiter alumni nostrorum Collegiorum Galliae cum aliquot Patribus e quavis Provincia illius Assistentiae (2).

3 apr. — Excell.mus D. Raimundus Subercaseaux, Legatus Reipubl. Chilenae apud Sanctam Sedem, cum Senatore quodam (D.no Barros) eiusdem Reipublicae.

4 apr. — Excell.mus Princeps de Thun, et Excell.mus ac RR. DD. Paulus de Huyn, Patriarcha Alexandrinus Latinorum.

5 apr. — Excell.mus D. Otto Baro von Ritter zu Groenesteyn, Legatus Bavariae apud Sanctam Sedem.

6 apr. — Aliquot alumni Collegii Mediolanensis (Prov. Ven.) cum Rectore P. Hadriano Gazzana.

7 apr. — Ducentiquinquaginta alumni e nostris Collegiis Prov. Belgicae cum aliquot Patribus eos comitantibus (3).

7 apr. — Excell.mus D. Marchio de Magaz, Legatus Hispaniae apud Sanctam Sedem.

---

(1) Ubi plures dies indicantur (v. gr. *10-15 apr.*), signum est viros illos per tale tempus apud nos hospites degisse; — secus, de sola visitatione Patri Nostro facta agitur.

(2) Cfr. supra pp. 319-320, 321.

(3) Cfr. supra, pp. 320, 321.

10-15 apr. 1929. — Quindecim Sacerdotes Missionarii Parisienses domi nostrae hospitio recepti.

16 apr. — Rev.mus P. Dom. Abb. Cozien O. S. B., Abbas Solesmiensis.

18 apr. — Excell.mus D. Held, Primus Minister Bavariae.

24 apr. — Celsissima Domina Elisabetha Archiducissa Hungariae.

26 apr. — Excell.mae Dominae E. et M. e Principibus de Croij.

27 apr. — Em. Card. Franciscus Bourne, Archiepiscopus Westmonasteriensis.

6 maii. — Rev.mus P. Dom. Fidelis de Stotzingen, Abbas Primas O. S. B.; qui alias quoque Patrem Nostrum identidem invisit.

11 maii. — Omnes alumni Collegii Tusculani (Prov. Rom.), qui Summum Pontificem eodem die adibant memorandum sermonem audituri (1), quique reliquias quasdam venerandi Patris Roothaan in illo Collegio usque tum servatas Patri Nostro perbelle obtulerunt: eos comitabantur P. Aristides Delmirani, Rector, aliique Patres.

14 maii. — Rev.mus P. Dom. Maurus Etcheverry, Abbas Generalis Congregationis Cassinensis O. S. B. a primaeva observantia.

25 maii. — Em. Card. Alexander Kakowski, Archiepiscopus Varsaviensis.

1-5 iun. — Nonnulli Patres Salesiani apud nos hospitio recipiuntur occasione beatificationis eorum Fundatoris B. Ioannis Bosco.

1 iun. — Em. Card. Franciscus Vidal y Barraquer, Archiepiscopus Tarraconensis; — item die *6 iun.*

4 iun. — Em. Card. Augustus Hlond, Archiepiscopus Gnesnensis et Poznaniensis, Primas Poloniae; item die *18 iun.*; die autem *29 iun.* vespere nobiscum in solario nostrae domus contemplatus est pulcherrimam illuminationem frontis et tholi Basilicae Vaticanae.

16 iun. — Die festo beatificationis B. Claudii de la Colombière apud nos devertunt Em. Card. Alexius Henricus Lépicier Praef. S. Congreg. de Religiosis, Excell.mi Episcopi Augustodunensis (Autun), Gratianopolitanus (Grenoble), Molinensis (Moulins), aliique nonnulli Praelati etc. (2).

16-27 iun. — Excell.mus ac RR. DD. Franciscus Borgongini-Duca, primus Nuntius Apostolicus apud Italiae Regem nuper constitutus, Exercitia Spiritualia decem dierum, duce P. Antonio M. Stravino, domi nostrae peragit, ut ad proximam episcopalem consecrationem se praeparet.

---

(1) Cfr. supra, pp. 320, 321.

(2) Aderat etiam RR. DD. Michael d'Herbigny S. I., ut dictum est supra, pag. 742 (*16 iun.*).

6 iul. 1929. — Complures ductores curruum electricorum Apostolatui Orationi adscripti ex variis Italiae urbibus peregrini Patrem Nostrum adeunt et monumentum SS. Cordis Iesu in nostro horto nuper erectum venerantur (1).

23 iul. — Alumni Pontif. Seminarii Regionalis Catacensis (2).

24 iul. — Alumni Pontif. Seminariorum Regionalium Anagnini et Kularitani (3). — Alumni Anagnini mane in sacello domestico Missam Patris Nostri audierant et Sacram Communionem ex eius manibus receperant.

25 iul. — Alumni Pontif. Seminarii Regionalis Campani (4).

26 iul. — Duodecim iuvenes Canadenses nostrorum Collegiorum alumni, qui mane Missae Patris Nostri adfuerant.

31 iul. — Em. Card. Alfredus Ildephonsus Schuster, O. S. B., novus Archiepiscopus Mediolanensis (5).

2 aug. — Excell.mus ac RR. DD. Ignatius Gabriel Tappuni, novus Patriarcha Antiochenus Syrorum.

25-28 sept. — Centum et viginti iuvenes opifices Belgicae consociationis J. O. C. et K. A. I. domi nostrae hospitio recepti (6).

15 oct.-4 nov. — Episcopi Rutheni suum plenarium Conventum apud nos habent (7).

18 oct. — Em. Card. Petrus Segura y Saenz, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniae Primas; — item *27* et *30 oct.* (8).

22 oct. — Excell.mus ac RR. DD. Benedictus Aloisi-Masella, Nuntius Apostolicus in Brasilia; — item die *9 nov.*

28 oct. — Tercenti Congregati Mariani ex Hispania cum aliquot Patribus e variis Provinciis illius Assistentiae: post receptionem iuvenum, Pater Noster alloquitur Patres Hispanos multa de Congregationibus Marianis bene regendis et fovendis disserens (9).

31 oct. — Em. Card. Eustachius Ilundain y Esteban, Archiepiscopus Hispalensis.

31 oct. — Sexaginta alumni Collegii Cuneensis (Prov. Taurin.) cum aliquot Patribus, duce P. Angelo Buttini, Rectore.

4 nov. — Rev.mus D. Beniaminus Nardone, Secretarius S. Congr.

---

(1) Cfr. supra, pag. 320.

(2) Cfr. supra, pp. 321, 736 (*24 iul.*), 742 (*19-26 iul.*).

(3) Cfr. supra, pp. 321, 736 (*24 iul.*), 742 (*19-26 iul.*).

(4) Cfr. supra, pp. 321, 736 (*24 iul.*), 742 (*19-26 iul.*).

(5) Cfr. supra, pag. 737 (*31 iul.*).

(6) Cfr. supra, pp. 321-322.

(7) Cfr. supra, pp. 314-315, 328-329, ubi tamen fortuito deest nomen RR. DD. Constantini Bohaczewskyj, Episc. tit. Amiseni, Ordinarii Ruthen. in Stat. Foed. Am.

(8) Cfr. supra, pp. 313-314, 327-328.

(9) Cfr. « *Acies Ordinata* », oct.-dec. 1929 pag. 41.

Caeremonialis, qui deinceps singulis mensibus apud nos recollectionem menstruam peraget, donec parata sit Domus Exercitiorum.

5 nov. 1929. — Celsissimus ac Rev.mus D. Georgius Princeps Bavariae, Canonicus Vaticatnus.

24 nov. — Excellentissimus Princeps Sapieha, Polonus, cum uxore.

25 nov. — Rev.mus P. Dom. Gommarus Crets, Abbas Generalis Ordinis Praemonstratensis.

2 dec. — Rev.mus P. Franciscus Petrus Bučys, Praepositus Generalis Congregationis Clericorum Regularium Marianorum.

12 dec. — Em. Card. Alexius Charost, Archiepiscopus Rhedonensis.

13 dec. — Rev.mus P. Dom. Edmundus Kelly, Abbas Praeses Congregationis Anglicae O. S. B., cum aliis duobus Abbatibus Benedictinis Angliae, qui Patri Nostro et Societati referunt gratias ob impensos a Nostris labores ad causam promovendam et feliciter complendam beatificationis Venerabilium Martyrum Angliae, inter quos, Beatos mox futuros, aliquot numerantur Monachi Benedictini.

14 dec. — Rev.mus Dom. Kaas, Praeses « Centri » Germanici Catholici.

19 dec. — Em. Card. Gustavus Fridericus Piffl, Archiepiscopus Vindobonensis.

27 dec. — Rev.mus P. Pancratius Pfeiffer, Superior Generalis Societatis Divini Salvatoris.

30 dec. — Rev.mus D.nus Iulius Belvederi, Secretarius Pontif. Instituti Archaeologiae Sacrae, qui, nomine Summi Pontificis, ob multum a Societate praestitum ad Catacumbas aptius servandas, Patri Nostro offert duo magnifica volumina Rev. D. Iosephi Wilpert: « I Sarcofaghi cristiani antichi ». — Pater Noster illa duo volumina Pontificiae Universitati Gregorianae destinavit.

Status Curiae Societatis Iesu exeunte anno 1929.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRÆPOSITUS GENERALIS

A DIE 11 FEBRUARII 1915

Borgo Santo Spirito, 5 - Roma (113)
(Pro Telegram: GISA-ROMA)

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital., Vicesup. dom.*	Prov.	Sic.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ., Admon., Conf. dom.*	»	Neerl.
P. Norbertus de Boynes, *Assist. Gall., Præf. valet., Conf. dom.*	»	Franc.
P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, *Assist. Hisp., Præf. spir., Conf. dom.*	»	Legion.
P. Iosephus Welsby, *Assist. Angl., Conf. dom.*	»	Angl.
P. Aemilius Mattern, *Assist. Amer., Conf. dom.*	»	Neo-Aurel.
P. Ladislaus Jankiewicz, *Assist. Slav., Conf. dom.*	»	Pol. Min.
P. Iosephus Demaux-Lagrange, *Secr. Soc., Cons. dom. an. 4*	»	Tolos.
P. Petrus Boetto, *Proc. Gen. (interim: Piazza del Gesù, 45, Roma, 117)*	»	Taur.
P. Antonius Stravino, *Oecon. Gen., Conf. dom., Cons. dom. an. 6*	»	Neap.
P. Renatus Fraeys, *Min., Proc., Praef. eccl. et sac. dom., Cons. dom. an. 3*	»	Belg.
P. Azzolini Hilarius, *Subsecr. Soc., Cur. « Acta Rom. » et « Memorab. S. I. », Præf. lect. ad. mens.*	»	Ven.
P. Basterra Petrus, *Cons. ædilic.*	»	Castell.
P. Battiston Aegidius, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Ital., Expl. med. FF. CC. per vic.*	»	Ven.

P. Byrne Cornelius E., *Adiut. Præs. Secretariat. Congr. Mar.* . . . . Prov. Calif.
P. Codina Arthurus, *Script. oper. « Monumenta hist. S. I. », Parat. edit. Constitut., Conf. dom.* . . . . » Arag.
P. Coemans Augustus, *Parat. edit. Instit. recogn., Conf. dom.* . . . . » Belg.
P. Corradi Fortunatus Stephanus, *Adiut. cur. « Acta Rom. » et « Memorab. S. I. »* . . . » Ven.
P. Crivelli Camillus, *Substit. 2 Secr. Soc. pro Assist. Hisp., Catech. et expl. med. FF. CC. per vic.* . . . . » Mexic.
P. Donnelly Thomas, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Amer.* . . . . » Chicag.
P. Dragon Antonius, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Angl.* . . . . » Can. Inf.
P. Dubois Henricus, *Adiut. Secr. pro Mission., Script.* . . . . » Camp.
P. de Durat Franciscus, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Gall.* . . . . » Lugdun.
P. Fabbri Silvius, *Rev. gen. libr. (Via G. G. Belli, 3 - Roma, 126)* . . . . » Rom.
P. Fernández Dionysius, *Direct. oper. « Monumenta hist. S. I. », Script.* . . . . » Legion.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.* . . . . . . » Belg.
P. Goulet Eduardus, *Secr. pro Mission.* . . . . . » Can. Inf.
P. Haeck Hermannus, *Adiut. Secr. pro Mission., Expl. med. FF. CC. per vic.* . . . . . . » Belg.
P. Huarte Gabriel, *Rev. gen. libr. (Via G. G. Belli, 3 - Roma, 126)*. . . . . » Castell.
P. Kea Gulielmus, *Dir. gen. deleg. Apost. Orat.* » Neerl.
P. Kleiser Alphonsus, *Adiut. Secr. Soc. (Ignatius College, Valkenburg, Neerlandia)* . . . . » Germ. Sup.
P. Kratz Gulielmus, *Script.* . . . . » Germ. Inf.
P. Mendizábal Rufus, *Substit. 1 Secr. Soc. pro Assist. Hisp., Expl. med. FF. CC. per vic.* » Castell.
P. Miccinelli Carolus, *Postul. gen. caus. NN. VV. et BB., Cons. dom. an. 2.* . . . . » Rom.
P. van Offeren Henricus, *Adiut. Oecon. Gen.* . » Neerl.
P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr., Præs. coll. cas.* . . . . » Tolet.

P. Sakač Stephanus M. Crisinus, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Slav., Praef. biblioth.* . . . V. Prov. Iugosl.
P. Sautu Iulianus, *Parat. regesta* . . . . Prov. Castell.
P. Studer Leo, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Germ.* . . . . » Germ. Sup.
P. Tesio Augustinus, *Adiut. Proc. Gen.* . . . » Taur.
P. Villaret Aemilius, *Præs. Secr. Congr. Mar.* . » Camp.

COADIUTORES:

Amiano Felix, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . Prov. Castell.
Argemir Raimundus, *Soc. 1 Direct. oper. « Monumenta hist. S. I. » Aman., Ad dom.* . . » Arag.
Arnold Edwinus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* » Germ. Sup.
Arribas Antonius, *Soc. Postul. gen. caus. NN. VV. et BB., Cust. Reliq., Pict., Ad dom.* » Arag.
Baguñá Narcissus, *Soc. Secr. Soc., Aman., Ad dom.* » Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. 1 P. Gen., Aedit., Excit., Vis. mat. et noct.* . . . . » Arag.
Barlassina Joannes B., *Sart., Cust. vest. et lint., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc. 1 Adiut. Secr. Soc. (Valkenburg, etc.)* . . . . » Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom* . . . . » Lugdun.
Eceiza Franciscus, *Infirm.* . . . . » Rom.
Gorostiza Franciscus, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . » Castell.
Hagemann Bernardus, *Hortul., Ad dom.* . . . » Germ. Inf.
Herrero Aemilius, *Soc. 2 P. Gen., Aman., Ad dom.* » Legion.
Iragui Bonifacius, *Adiut. coq., Cellar.* . . . . » Castell.
Kolecki Iosephus, *Cust. tricl., Fab. lign., Ad dom.* » Pol. M. et M.
Lampe Maximilianus, *Adiut. Min., Ad dom.* . . » Neerl.
Loinaz Michael, *Soc. Praes. Secretariat. Congr. Mar., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . » Legion.
Luján Salvator, *Soc. 2 Oecon. Gen., Ad dom.* . . » Tolet.
Miranda Iosephus, *Ad dom., Soc. exeunt.* . . . » Legion.
Moles Iosephus, *Soc. 2 Direct. oper. « Monum. hist. S. I. », Aman., Ad dom.* . . . . . » Arag.
Morant Iosephus, *Soc. Dir. gen. deleg. Apost.* » Arag.
Orat., Aman., Ad dom. . . . . » Ven.
Mulatti Angelus, *Cur. aedif. novae Curiae* . . .

Oteiza Esdras, *Aman., Comp. mss. et libr., Ad dom.* Prov. Castell.
Otrebski Eugenius, *Soc. Adiut. Proc. Gen., Aman., Ad dom.* . . . . » Pol. Min.
Oyen Hermannus, *Soc. Secr. pro Mission., Aman., Adiut. infirm., Ad dom.* . . . . » Belg.
Prieto Iosephus, *Soc. 1 Oecon. gen., Vis. orat. et exam., Ad dom.* . . . . » Legion.
Sangalli Iosephus. *Empt., Coq., Excit.* . . . . » Ven.
Sanmartín Theophilus, *Ad dom., Soc. exeunt.* . » Castell.
Sullivan Philippus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . » Chicag.
Tortosa Aloisius, *Ian.* . . . . » Arag.
Villa Raimundus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* » Castell.
Vögele Georgius, *Soc. 2 Adiut. Secr. Soc.* (*Valkenburg, etc.*) . . . . » Germ. Sup.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . » Ven.

Sac. 42. — Coad. 33. — Univ. 75.

II.
CHRONICON CURIAE SOCIETATIS
A DIE 1 IANUARII AD 31 DECEMBRIS 1930.

Ephemerides Curiae anno 1930.

1 ian. 1930. — Cum hac nocte pie obierit Romae Eques Firmus Ratti, frater germanus Beatissimi Patris Pii XI, Sanctitas Sua unum e Praelatis Palatinis domum nostram ipsa nocte misit rogaturum ut 1000 Missas quam primum per nos celebrandas curaremus, congruo dato stipendio. P. Oeconomus Generalis statim negotium suscepit perfecitque tanta cum celeritate, ut, monitis illa ipsa nocte per telephonium non modo omnibus domibus Romanis sed etiam Procuratoribus aliarum Provinciarum Italiae, uno alterove die omnes illae Missae celebrari potuerint: quibus Pater Noster complures alias addidit e Missis ad suam intentionem celebrari solitis. — Id autem summo fuit solatio Beatissimo Patri, qui per Cubicularium Secretum peculiares gratias Patri Nostro et Societati referri iussit (1).

14-18 ian. — P. Antonius M. Stravino, Oeconomus Generalis, Augustam Taurinorum petit negotiorum causa.

23-25 ian. — Pater Noster cum Fratre infirmario ad orthopedicam quandam curam subeundam Bononiam petit; item *4-13 mart.* cum P. Camillo Crivelli.

2 febr. — In templo SS. Nominis Iesu Pater Noster Missam ce-

(1) En epistola, qua id praestitum fuit:
Anticamera Pontificia.

Vaticano, 2 del 1930.

Rmo. Padre Generale della Compagnia di Gesù,

Di grande conforto, nel grave lutto, è tornata al Santo Padre l'offerta di così generoso tesoro spirituale a suffragio dell'anima eletta del lagrimato Fratello di S. S. ed ancora la delicata commovente premura nella celebrazione delle SS. Messe mandate: ed è di tutto cuore ed in segno di speciale gradimento che a Lei, Rmo. Padre, ed alla Compagnia intera imparte la Benedizione Apostolica.

Con profondi ossequi

di V. P. Rma.
dev.mo servo
DIEGO VENINI
C. s. p.

lebrat ad altare S. P. Ignatii, ibique ultima Vota excipit nonnullorum Patrum et Fratrum ex variis Provinciis: e Curia professionem sollemnem 4 votorum emittit P. Leo Studer, Substitutus Secretarii pro Assistentia Germaniae.

8 febr. 1930. — P. Iosephus March, e Prov. Aragoniae, huc venit nobiscum deinceps commoraturus, inter Scriptores adnumeratus.

23 mart. — Altare maius nostri oratorii publici S. Francisco Borgiae dicatum sollemniter consecratur ab Excell.mo ac RR. DD. Francisco Marchetti-Selvaggiani, Archiep. tit. Seleucien., Secretario S. Congr. de Propaganda Fide (1): in altari reconditae sunt parvae reliquiae SS. Pauli Apostoli, Laurentii Martyris, Eleutherii Papae et Martyris, Pauli et Ioannis et Iacobi Martyrum Iaponensium, Francisci Borgiae Confessoris. Aliquot Scholastici ex Universitate Gregoriana, duce Fr. Schol. Petro Cerruti (Viceprov. Bras. Centr.), rem sacram pulchris cantibus ornarunt.

23 mart. — R. P. Franciscus de Paula Nalbone, Italiae Assistens, cum in eo sit ut valetudinis causa, ipso petente, a munere sublevetur (2), hodie in suam Provinciam Siculam revertitur.

25 mart. — R. P. Petrus Boetto, hactenus Procurator Generalis idemque Provinciae Romanae Praepositus, his officiis depositis, novus Italiae Assistens et Vicesuperior domus nostrae renuntiatur (3). — Novus item renuntiatur Procurator Generalis P. Augustinus Tesio, e Provincia Taurinensi (4).

7 apr. — Pater Noster Eminentissimum Cardinalem Petrum Gasparri adit eique nomine Societatis gratias agit pro omnibus beneficiis praestitis dum Secretarii Status munere tam diu functus est, atque diploma ei tradit pulchre a Fr. Coad. Antonio Arribas in pergameno papyro depictum, quo particeps declaratur meritorum Societatis: quod quidem Eminentissimus Dominus gratum admodum habuit.

12 apr. — R. P. Ladislaus Jankiewicz, Assistens Slavicus, valetudine aliquantulum firmata, hodie Romam venit et nobiscum degere coepit (5).

16 apr. — In consultatione PP. Assistentium, adstantibus etiam aliis de iure vocandis, novi Assistentes Italiae et Slavicus praescriptum iusiurandum emittunt.

14-24 apr. — P. Aemilius Villaret, Praeses Secretariatus Congregationum Marianarum, Neapolim petit ibique decem dies versatur.

(1) Post aliquot menses, die 30 iun. 1930, creatus est S. R. E. Cardinalis.

(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol.VI, 1930, pp. 589-590.

(3) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 589-590.

(4) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pag. 590; — item, cfr. hic supra pag. 738.

(5) Cfr. supra, pag. 736 (*16 iun.*).

17 apr. 1930. — Hodie mane, feria V in Coena Domini, Missam in sacello domestico celebrat et sacram Communionem omnibus PP. ac FF. distribuit Excell.mus ac RR. DD. Iosephus Pizzardo, Secretarius S. Congr. de Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis, Archiepiscopus tit. Nicaenus electus, qui nunc domi nostrae degit, Exercitia Spiritualia, duce P. Antonio M. Stravino, peragens pro consecratione episcopali proxime recipienda.

28 apr. — Cum hoc ipso die ante quinquaginta annos (28 apr. 1880) Fr. Coad. Ignatius Banquells, e Prov. Aragoniae, Curiae Praepositi Generalis addictus sit in eaque quinque Praepositis Generalibus fidelissime semper servierit (1), optimo seni hodie fraterna cum laetitia gratulamur.

4 maii. — In Aedibus Vaticanis promulgationi Decreti de miraculis B. Roberti Bellarmino laeti adsumus et Summum Pontificem de Societate benevolentissime loquentem grati audimus (2).

5-10 maii. — Pater Noster, quo tranquillius possit quibusdam negotiis attendere, per aliquot dies in Aricinam Domum probationis Prov. Romanae sese recipit; — item *13-17 et 20-24 maii,* et *3-6 iun.*

11 maii. — In Aedibus Vaticanis sollemni lectioni Decreti de miraculis BB. Martyrum Ioannis de Brébeuf, Isaaci Jogues et Sociorum laeti adsumus (3); — item die *18 maii* pro Decretis de « tuto » in ordinem ad utramque canonizationem (4).

18 maii-6 iun. — R. P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, Assistens Hispaniae, in Hispaniam mittitur ut nomine Patris Nostri et Societatis adsit magno conventui Apostolatus Orationis his diebus Matriti habendo.

20 maii. — In Pontificio Musaeo Missionario Lateranensi marmorea statua dedicatur ibi in honorem S. Francisci Xaverii erecta (5): cui caeremoniae Pater Noster Societatis nomine adest.

25-29 maii. — R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens, consuetam visitationem annuam peragit communitatis Pontif. Instituti Orientalis.

25 maii-15 sept. — P. Henricus Dubois, e Secretariatu pro Missionibus, in Galliam etc. petit, missionariis conventibus variis in regionibus adfuturus; — item *27 oct.-24 dec.*

27 iun. — Hodie, in festo SS. Cordis Iesu, in sacello nostro domestico Pater Noster sollemnem 4 vot. professionem excipit R. P.

---

(1) Cfr. supra, pp. 731 (*2 ian.*), 733 (*2 febr.*).

(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 468-476.

(3) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 476-480.

(4) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 481-489.

(5) Cfr. supra, pag. 14.

Adulfi Mariotti, qui Praepositus Provinciae Romanae hoc ipso die est renuntiandus.

29 iun. 1930. — Sollemni canonizationi SS. Ioannis de Brébeuf, Isaaci Jogues et Sociorum Martyrum et S. Roberti Card. Bellarmino in Basilica Vaticana laeti admodum et Deo gratissimi adsumus (1): domus nostra tapetibus et vespere luminibus ornatur.

30 iun.-2 iul. — Triduanae festivitates in honorem novorum SS. Martyrum, dum in templo SS. Nominis Iesu sollemniter peraguntur, etiam domi pie habentur.

6 iul. — P. Gulielmus Kea, hactenus Director generalis delegatus Apostolatus Orationis, hoc munere sublevatus, in suam Neerlandicam Provinciam revertitur.

10-20 iul. — Absente aliquot dies R. P. Petro Boetto, Vicesuperiorem domus interea agit R. P. Norbertus de Boynes, Galliae Assistens.

17 iul. — P. Cornelius Byrne, hactenus Adiutor Praesidis Secretariatus Congregationum Marianarum, in suam Californiae Provinciam revertitur.

23 iul. — Hodie hic domi tempore recreationis promulgatur sollemne decretum, nuper huc missum, quo Pater Noster ab Universitate Vilnensi Batoreana, ob insignia Societatis merita in illo Athenaeo ante trecentos quinquaginta annos fundando et diu regendo, Doctor ad honorem in sacra theologia renuntiatus est iam inde a die 10 octobris 1929. — Diploma ipsum in pagina sequenti integrum exscribimus.

25 iul. — Novus Director generalis delegatus Apostolatus Orationis renuntiatur P. Iacobus Zeij, e Provincia Neerlandica (2), qui tamen Romam non veniet nisi die *19 sept.*, quo die Curiae nostrae adnumeratus est.

25 iul. — Tusculum (Frascati) petimus rusticaturi: quidam tamen Romae manent (in primis Pater Noster ob quaedam negotia) aut alio pergunt variis de causis, quas longum est singillatim describere. — P. Eduardus Goulet, Secretarius pro Missionibus, Massiliam petit (post duas hebdomadas reversurus) ad conventum quendam missionarium.

2-5 aug. — Congregationi Provinciali Romanae adsunt P. Secretarius et PP. Procurator et Oeconomus (ex officio) et PP. Sautu, Coemans, del Portillo, Crivelli (ratione antiquitatis professione).

---

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 495-502.

(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pag. 595.

Diploma Patri Nostro datum, de quo sub die 23 iul. dictum est:

UNIVERSITAS VILNENSIS BATOREANA

1578-1929.

Q. F. F. F. Q. S.
Summis Auspiciis
SERENISSIMAE REIPUBLICAE POLONORUM
NOS
CESLAUS FALKOWSKI
Sacrae theologiae doctor, historiae ecclesiasticae professor publicus ordinarius,
H. T. Universitatis Vilnensis Batoreanae Rector magnificus
et
IGNATIUS ŚWIRSKI
Philosophiae et sacrae theolog. doctor, theologiae moralis prof. publicus extraord.
H. T. Ordinis Theologorum Decanus
Virum Illustrissimum
VLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI
Praepositum Generalem Societatis Iesu
operis charitatis erga iuvenes opifices
promotorem impigerrimum
cuius auxilio pro iuvenibus operis laborique deditis asylum Cracoviae conditum est,
Fidei Catholicae nec non genii gentis Polonae inter Polonos in diversis Europae
atque Americae regionibus dispersis
propagatorem strenuissimum,
Missionis Polonae, quae in Rhodesia est, quaeque nomen Reipublicae Polonorum
in tota Africa atque inter nationes omnes omniaque regna
maxime vero apud Sanctam Sedem celebrem reddit
auctorem ingeniosissimum,
occasione solemnitatis, quam Alma Mater Vilnensis septuaginta lustris ab erectione
sua expletis celebrat,
ad perpetuam Societatis Iesu in erectione Academiae Vilnensis meritorum memoriam
Honoris Causa
DOCTOREM SACRAE THEOLOGIAE
solemniter pronuntiavimus
in eiusque rei fidem hasce litteras Universitatis sigillo
sanciendas curavimus.
Vilnae, die X Octobris anni millesimi nongentesimi undetricesimi

CESLAUS FALKOWSKI
H. T. Rector magnificus.

IGNATIUS ŚWIRSKI
H. T. Decanus.

10-27 aug. 1930. — P. Aemilius Villaret, Praeses Secretariatus Congregationum Marianarum, Iugoslaviam et Hungariam petit, Marianis quibusdam conventibus adfuturus.

15 aug. — In sacello villae Tusculanae Pater Noster excipit sollemnem 4 votorum professionem P. Caroli Silva-Tarouca (Prov. Cechoslov.), Lectoris historiae ecclesiasticae in Pontif. Univ. Gregoriana, qui ad hanc sollemnem professionem ob insigne scribendi talentum promovetur; itemque vota ultima FF. Coad. Francisci Eceiza et Philippi Sullivan Curiae nostrae addictorum, et Fr. Ioannis Garmendia (Prov. Rom.).

18 aug. — Fr. Coad. Iosepho Prieto, a multis annis sedulo adiutori Oeconomi Generalis, his diebus quinquagesimum Societatis annum explenti, hodie fraterna laetitia gratulati sumus.

21 aug. — Pater Noster cum Fratre Socio Neapolim petit ibique aliquot hebdomadas manet, die *16 sept.* Romam reversurus.

11-18 sept. — Exercitia Spiritualia peragimus.

20 sept. — Tusculo Romam redimus. — Advenire incipiunt Provinciarum Procuratores, quos alias recensuimus (1).

21 sept. — P. Daniel Donnelly (Prov. Hibern.) hodie Romam venit et Curiae adscribitur Adiutor Secretarii pro Missionibus.

27-30 sept. — Congregatio Procuratorum, de qua alias dictum est (2).

2 oct. — P. Ioannes E. Grattan, e Prov. Marylandiae - N. E., advenit et Curiae adscribitur ut novus Substitutus Secretarii pro Assistentia Americae.

3 oct. — R. P. Ladislaus Jankiewicz, Assistens Slavicus, qui iam inde a mense augusto iterum aegrotare coeperat (3), cum morbus in dies ingravescere videatur, hodie sanctis Sacramentis munitur; sed deinde per alium mensem et dimidium magna cum omnium aedificatione insanabilem morbum patientissime perferre pergit.

3 oct. — P. Leonardus Gilen, e Prov. Germaniae Infer., hodie Romam advenit et Curiae adnumeratur ut novus Adiutor Praesidis Secretariatus Congregationum Marianarum.

5 oct. — P. Ignatius Errandonea, e Prov. Castellana, hodie in Urbem venit et Curiae adscribitur ut novus *Memorabilium* Redactor (4) simulque Revisor generalis librorum.

16 oct. — P. Fortunatus Stephanus Corradi, hactenus Adiutor Subsecretarii pro redigendis *Memorabilibus S. I.*, in suam Venetam Provinciam redit.

---

(1) V. supra, pp. 513-521.

(2) V. supra, pp. 481-521.

(3) Cfr. supra, pp. 482, 495, 520.

(4) Cfr. supra, pag. 592.

20 oct. 1930. — P. Hermannus Haeck, e Secretariatu pro Missionibus, ad pleniorem Missionum notitiam sibi comparandam quo efficacius dein in suo officio eas iuvare possit, quasdam Indiarum Missiones peragraturus hodie proficiscitur.

24 oct. — Hodie advenit et Curiae adscribitur P. Antonius Valle (Prov. Legion.), novus Bibliothecarius.

28 oct. — Incendium noctu fortuito oboritur in sacristia sacelli domestici, sed non sine quadam peculiari Dei providentia factum est ut ignis per se ipse deficeret perpauco illato nocumento, quamquam multa prope aderant facile comburenda.

2 nov. — Nuntiatur mors Comitis Casimiri Ledóchowski, germani fratris Patris Nostri, pro cuius anima pia suffragia obtulimus.

9 nov. — P. Petrus Basterra in Hispaniam proficiscitur, proximo mense ianuario reversurus.

20 nov.-16 dec. — Pater Noster, ex medicorum et PP. Assistentium consilio, ad aliquam ex praeteritis laboribus necessariam quietem sumendam aliquot hebdomadas degit cum Fratre Socio in Monte Mario prope Urbem in religiosa quadam domo.

21 nov. — R. P. Ladislaus Jankiewicz summo mane paulo ante horam 5.m, adstantibus nonnullis Patribus et Fratribus, pie in Domino obiit, aetatis anno 48, Societatis 33 (1). — De eo paulo fusius loquemur in aliquo e proximis fasciculis.

22 nov. — Carissimo defuncto parentamus in oratorio publico, adstantibus (praeter nos omnes et alios e Nostris aliarum domorum Romanarum) Secretario Legationis Polonicae apud Sanctam Sedem et Rev.mo D. Stanislao Janasik Sacrae Rotae Auditore aliisque nonnullis externis Polonis.

4 dec. — P. Thomas Donnelly, hactenus per octo annos Substitutus Secretarii pro Assistentia Americae,in suam Chicagiensem Provinciam redit.

13-19 dec. — Nova Exercitiorum Domus, nostrae domui quam proxima (2), nunc primum adhiberi coepta est quamquam nondum penitus perfecta: viginti circiter clerici e Collegio Americae Septemtrionalis Exercitia ibi peragunt pro ordinatione sacerdotali mox recipienda, iisque ea tradit R. P. Aemilius Mattern, Assistens Americae. — Plenam tamen illius Domus inaugurationem in proximum mensem februarium reiicitur.

15-18 dec. — P. Carolus Miccinelli, Postulator generalis causarum NN. VV. et BB., Florentiam petit, translationi adfuturus corporis

---

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 626-627.

(2) Cfr. supra, pp. 586, 591.

P. Richardi Friedl († 27 febr. 1917), e Prov. Veneta, olim Instructoris PP. tertiae probationis, qui tanta sanctitatis fama floruit et etiam nunc gaudet, ut de eius beatificatione mox actum iri speretur: venerandum illud corpus e coemeterio in nostrum templum translatum est die 17 dec.

17-24 dec. — Pater Noster Exercitia Spiritualia peragit.

Hospites Nostri anno 1930.

Praeter Provinciarum Procuratores et Missionum Relatores, quos alias recensuimus (1), anno 1930 domi nostrae hospitio excepti sunt:

1 ian.-3 aug. 1930. — P. Edmundus Elter (Prov. Pol. M. et Maz.), Lector ethices in Pontif. Univ. Gregoriana (2); — item *15 sept.-31 dec.*

1 ian.-15 iul. — P. Adelelmus Frias (Prov. Castell.), Scriptor.

1 ian.-5 apr. — P. Carolus Newdigate (Prov. Angl.), Vicepostulator causae Martyrum Angliae (3).

1-2 ian. — R. P. Ioannes Lauer, Praepositus Prov. Germaniae Inferioris.

1-2 ian. — P. Ioannes Corominas (Prov. Argent.-Chilen.); — item *9-13 febr.*

1-7 ian. — P. Edmundus A. Walsh (Prov. Maryl. - N. E.); — item *24 iun.-18 iul.*

8 ian.-21 iul. — P. Ambrosius M. Fiocchi (Prov. Ven.), Scriptor, qui biographiam italicam conscribere debet pro canonizatione B. Roberti Bellarmino.

11 ian.-28 febr. — P. Octavius Villa (Prov. Calif.); — item *17 iul.-20 aug.*

15 ian.-26 maii. — P. Petrus Lippert (Prov. Germ. Super.).

20-22 ian. — P. Iaphet Stan. Jollain (Prov. Neapol.); — item *14-22 febr.*

23 ian.-1 febr. — P. Laurentius Tognetti (Prov. Rom.).

24-25 ian. — P. Iosephus Rosau, Socius Praep. Prov. Venetae; — item *18-21 febr.*

2 febr.-11 mart. — P. Aloisius Gurgo-Salice, Procurator Prov. Taurinensis; — item *18-19 iun.*

18-25 febr. — R. P. Alfonsus M. Martin, Praepositus Prov. Taurinensis.

19-21 febr. — R. P. Iosephus Manzo, Praepositus Prov. Neapolitanae.

(1) V. supra, pp. 513-523.

(2) Cfr. supra, pp. 744 (*1 nov.*).

(3) Cfr. supra, pp. 599, 744 (*21 nov.*); item infra, pag. 772 (*22 febr.*).

9-10 mart. 1930. — P. Angelus Buttini, Rector Collegii Cuneensis (Prov. Taurin.), qui alias deinde pluries venit ob negotia quaedam suae Provinciae.

21 mart.-21 apr. — P. Ioannes Stein (Prov. Neerland.), qui in Aethiopiam mox est profecturus ad explorationem quandam astronomicam peragendam ex commissione Speculae Vaticanae (1).

26 mart.-3 apr. — P. Henricus Lalande (Prov. Tolos.), Capellanus generalis consociationis Iuventutis Catholicae Galliae.

26 mart.-5 apr. — P. Iacobus B. Macelwane (Prov. Chicag.).

28 mart.-3 apr. — P. Ludovicus Poullier (Prov. Camp.), Instructor tertiae probationis Ambianensis.

1-22 apr. — P. Carolus Kälin (Prov. Germ. Sup.), Exercitia Spiritualia Helveticis militibus in Vaticano traditurus.

8-21 apr. — P. Ignatius Puig (Prov. Arag.), qui cum P. Stein in Aethiopiam est profecturus (2).

16-20 apr. — P. Linus Angelus Tomé (Prov. Rom.).

17-23 apr. — PP. Ludovicus Esch, Bruno Borucki, Ludovicus Fatzaun, Gulielmus Föhrer, Gustavus Grauvogel (e Prov. Germaniae Inferioris).

25 apr.-9 iun. — P. Theodorus Monnens (Prov. Belg.), Professor Missiologiae in Pontif. Univ. Gregoriana.

12-28 maii. — RR. DD. Paulus Perini (Prov. Ven.), Episcopus Calicutensis in Indiis; — item *26 iun.-5 iul.*

20-28 maii. — RR. DD. Ferdinandus Périer (Prov. Belg.), Archiepiscopus Calcuttensis.

11-16 iun. — P. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.), redux ex Africa, ubi multum contulit ad exitum felicem Congressus Eucharistici internationalis Carthaginensis nuper habiti.

12 iun.-11 iul. — RR. DD. Tiburtius Roche (Prov. Tolos.), Episcopus Tuticorinensis in Indiis.

16 iun.-11 iul. — RR. DD. Ludovicus Van Hoeck (Prov. Belg.), Episcopus Ranchensis in Indiis.

17 iun.-8 iul. — Pro canonizatione Martyrum Canado-Americanorum et Bellarmini complures Patres advenerunt ex Gallia, Canada, Statibus Foederatis, Anglia, Italia, Belgio etc. En praecipui manipuli horum hospitum, qui tamen non eodem die venerunt nec eodem die

---

(1) De facto P. Stein cum socio (P. Puig) Aethiopiam versus profectus est die 21 aprilis, sed vix ad oram Africae appulerat, cum, ob internas Aethiopiae condiciones, nuntium accepit, ut in Europam rediret, ad melius tempus scientifica expeditione remissa.

(2) Cfr. supra, pag. 761 (*21 mart.*), nota 1.

profecti sunt: R. P. Gulielmus Hingston (Praep. Viceprov. Canad. Super.) R. P. Franciscus Xav. Bellavance (Praep. Prov. Canad. Infer.) cum PP. d'Orsonnens, Hudon, Leclaire, Papineau, Pellegrino, Colozza; R. P. Felix Mollat (Praep. Prov. Franc.), cum PP. Dubourg, Lambert, de Reviers, de Bagneaux, et Fr. Coad. Felice Cochet, qui duos novos Sanctos Fratres e Provincia Franciae oriundos nomine Fratrum Coadiutorum veneraturus venit; R. P. Franciscus Xav. Thoyer (Praep. Prov. Camp.) cum P. Jossan; R. P. Ioannes Costa de Beauregard (Praep. Prov. Lugdun.) cum P. Jamin; R. P. Leontius Aurel (Praep. Prov. Tolos.) cum P. Jammet; R. P. Iosephus Manzo, Praep. Prov. Neapolitanae; P. Wynne (Prov. Maryl.-N. E.) et P. White (Prov. Nov. Angl.); R. P. Ferdinandus Willaert (Praep. Prov. Belg.) cum P. Ioanne Janssen (Rect. Coll. Lovan.) et P. Van Bastelaer; PP. H. Davis et Hanson et Brodrick e Prov. Angliae; P. Caelestinus Testore (Prov. Taurin.), auctor vitae italicae SS. Martyrum Canado-Americanorum; P. Thomas Marković e Viceprov. Iugoslaviae. — Item nonnulli Missionum Relatores Romae tunc aderant (1).

17-30 iun. 1930. — RR. DD. Carolus Givelet (Prov. Camp.), Episcopus tit. Gindarensis et Vicarius Apostolicus de Fianarantsoa (Madagascar).

21-25 iun. — P. Bruno Bitter (Prov. Germ. Infer.), Procurator Missionis Iaponicae.

23 iun.-9 iul. — RR. DD. Augustinus Faisandier (Prov. Tolos.), Episcopus Trichinopolitanus in Indiis.

24-28 iun. — R. P. Ieremias Sullivan, Superior Missionis Australiae (Prov. Hibern.).

27 iun.-1 iul. — RR. DD. Thomas Berutti (Prov. Taurin.), Episcopus tit. Cusiensis et Vicarius Apostolicus de Pengpu in Sinis; — item *9-13 iul.*

30 iun.-17 iul. — RR. DD. Ludovicus Schuler (Prov. Neo Aurel.), Episcopus Elpasensis in America.

8-13 iul. — R. P. Antonius Tissoni (Prov. Taurin.), Superior Missionis de Pengpu in Sinis.

12-19 iul. — P. Carolus Brust, Rector Coll. Max. Valkenburgensis (Prov. Germ. Infer.).

15-23 iul. — P. Augustinus Garagnani (Prov. Ven.), cum aliquot NN. Scholasticis Pontif. Univ. Gregorianae Exercitia Spiritualia peracturis ad ordinationem sacerdotalem mox recipiendam.

21 iul.-3 aug. — P. Iosephus Panizo (Prov. Tolet.).

---

(1) Cfr. supra, pp. 522-523. — Aderat etiam Fr. Schol. Angelus Rios (Prov. Legion.), qui e Missione Ankinensi tunc redibat ad reparandam valetudinem.

25 iul.-10 sept. 1930 (ruri). — PP. Carolus Silva Tarouca (Prov. Cechoslov.) (1) et Ioannes Busnelli (Prov. Ven.) (2).

1-21 aug. (ruri). — P. Augustinus Garagnani (Prov. Ven.), Pontif. Univ. Gregorianae addictus.

13-14 aug. (ruri). — P. Arthurus Tétrault (Prov. Canad. Inf.).

14-15 aug. (ruri). — P. Dominicus M. Palermo Lazzarini (Prov. Rom.), Praefectus studiorum Pontif. Univ. Gregorianae.

9-19 sept. (ruri). — P. Gulielmus Celebrano (Prov. Neapol.), Exercitia Spiritualia Fratribus nostris Coadiutoribus explicaturus.

19 sept.-10 nov. — P. Ioannes Stein (Prov. Neerl.), novus Director Speculae astronomicae Vaticanae (3).

7-13 oct. — P. Iulius Peyré (Prov. Tolos.), Superior Resid. Palensis, vicepostulator in causa beatificationis P. Pauli Ginhac.

9-31 oct. — P. Albertus Filippi, Procurator Prov. Taurinensis (4), qui alius saepius deinde venit ob negotia quaedam suae Provinciae.

16-25 oct. — P. Constantius Eguia Rúiz (Prov. Legion.).

22-30 oct. — P. Alfonsus M. Schwitalla (Prov. Missour).

24-27 oct. — R. P. Iosephus Peano, Rector Seminarii Pontificii Kularitani in Sardinia, qui, emissa sollemni professione quattuor votorum in templo SS. Nominis Iesu die *26 oct.* coram R. P. Petro Boetto Italiae Assistente, postridie Praepositus suae Provinciae Taurinensis renuntiatur.

1-12 nov. — R. P. Marcellus Renaud (Prov. Mexic.), Praepositus Viceprov. Brasiliae Centralis (5).

13-22 nov. — P. Gabriel Huarte (Prov. Castell.), Rector Pontif. Coll. Pii Latini Americani in Urbe.

14 nov.-31 dec. — R. P. Ioachimus Vilallonga (Prov. Arag.), Visitator Apostolicus insularum Philippinarum (6) et Visitator regularis Missionum Bombayensis et Poonensis.

18-23 nov. — R. P. Candidus Mendes, Praepositus Prov. Lusitanae.

20-29 nov. — P. Dominicus Gori (Prov. Rom.).

24-26 nov. — P. Ferdinandus Willaert (Prov. Belg.), novus Rector Pontif. Universitatis Gregorianae die festo S. Ioannis Berchmans (*26 nov.*) renuntiandus.

17-31 dec. — P. Franciscus Hürth (Prov. Germ. Infer.).

---

(1) Cfr. supra, pag. 758 (*15 aug.*).

(2) V. supra, pag. 743.

(3) Cfr. supra, pp. 494, 621-622.

(4) Cfr. supra, pag. 521 (*9 oct.*).

(5) Cfr. supra, pag. 521.

(6) Cfr. supra, pag. 408.

23-31 dec. 1930. — P. Petrus Lennerz (Prov. Germ. Infer.), Professor in Pontif. Univers. Gregoriana.

30-31 dec. — P. Ioannes Ardemagni (Prov. Taurin.).

Visitatores illustres, Hospites externi (1), Peregrinorum manipuli Patrem Nostrum invisentes anno 1930.

Praeter Cardinales Romae residentes et Episcopos bene multos, quos singulos recensere longum est, Patrem Nostrum anno 1930 adierunt:

2 ian. 1930. — Em. Card. Ioannes Verdier, novus Parisiensis Archiepiscopus.

2 ian. — Excell.mus Don. Otto Baro von Ritter zu Groenesteyn, Legatus Bavariae apud Sanctam Sedem.

6 ian. — Excell.ma D.na Comitissa Van den Steen de Jehay, e comitatu honorifico Reginae Belgarum per hoc tempus Romae degentis occasione nuptiarum Principis Humberti a Sabaudia, Italici regni heredis, cum filia Regis Belgarum (3).

6 ian. — Duo iuvenes Indiani, nostri Collegii Mangalorensis (Miss. Calicut., Prov. Ven.) olim alumni, vota et gratiarum actiones Patri Nostro et Societati ex officio referunt nomine omnium alumnorum illius Collegii, occasione quinquagesimi anniversarii ab eo condito (2).

8 ian. — Em. Card. Emmanuel Gonçalves Cerejeira, novus Lisbonensis Patriarcha.

10 ian. — Excell.mus ac RR. DD. Paulus de Huyn, Patriarcha Alexandrinus Latinorum.

17 ian. — Excell.mus Dom. Ladislaus Skrzyński, Legatus Poloniae apud Sanctam Sedem; — ite *19 febr.* et alias.

20 ian. — Aliquot PP. Franciscani Poloni.

22 ian. — Rev.mus P. Dom. Maurus Etcheverry, Abbas Generalis Congregationis Cassinensis O. S. B. a primaeva observantia.

3 mart. — Rev.mus Dom. Ioannes Rossi, Superior Generalis Congregationis a Sancto Paulo (Card. Ferrari).

---

(1) Ubi plures dies indicantur (v. gr. *16-20 apr.*), signum est illos viros per tale tempus apud nos hospites degisse; — secus de la visitatione officiosa Patri Nostro facta agitur.

(2) V. supra, pag. 634.

(3) Per hanc ipsam nobilem feminam Pater Noster augustis Sponsis obtulit spirituale munus 2000 Missarum, quod illis gratissimum fuit.

17 mart. 1930. — Excell.mus ac RR. DD. Robertus Vicentini, Patriarcha Antiochenus Latinorum.

30 mart. — RR. DD. Franciscus Marchetti-Selvaggiani, Archiepiscopus tit. Seleuciensis, Secretarius S. Congreg. de Propaganda Fide, hodie apud nos devertit (1).

3 apr. — Excell.mus ac RR. DD. Caesar Orsenigo, Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Lybia, novus Nuntius Apostolicus in Germania.

5 apr. — Excell.ma Domina Princeps Radzivill; — item die *3 iun.*

13-20 apr. — Excell.mus ac RR. DD. Iosephus Pizzardo, Archiepiscopus electus Nicaenus (2).

16-20 apr. — Quindecim iuvenes Romani Sodales Mariani, duce P. Lino Angelo Tomé, Exercitia Spiritualia domi nostrae peragunt.

16 apr. — Triginta circiter alumni Oenipontani Convictus «Canisianum» nuncupati.

17 apr. — Excell.mus Dom. Doctor Schmidt, Minister Iustitiae in Republ. Borussica.

23 apr. — Excell.ma Domina Princeps Stolberg.

30 apr. — Celsissimus Princeps Saxoniae.

30 apr. — Rev.mus P. Gulielmus a S. Alberto, Praepositus Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum.

29 mai.-7 iun. — Excell.mus Princeps Alexander Volkonsky, olim e proceribus Russiae, per Exercitia Spiritualia sese praeparat ad ordinationem sacerdotalem mox recipiendam.

17 iun. — Excell.mus Dom. Carolus Magalhães de Azeredo, Legatus Brasiliae apud Sanctam Sedem.

21 iun. — Em. Card. Petrus Segura y Saenz, Archiepiscopus Toletanus, Hispaniae Primas.

25 iun. — Excell.mus Dom. Camillus Serafini, Gubernator Status Civitatis Vaticanae.

25 iun. — Excell.mus ac RR. DD. Eduardus Mooney, Archiepiscopus tit. Irenopolitanus, Delegatus Apostolicus in Indiis Orientalibus; — item die *29 oct.*

27 iun. — Em. Card. Franciscus Vidal y Barraquer Archiepiscopus Tarraconensis; — item die *9 iul.*

27 iun.-3 iul. — RR. DD. Iosephus Batignani, Episcopi Montis Politiani (quae urbs novi Sancti Roberti Bellarmino patria fuit) occasione canonizationis Bellarmini apud nos degit.

28 iun.-2 iul. — Em. Card. Alexius Ascalesi, Archiepiscopus Neapolitanus, occasione canonizationum apud nos devertit.

---

(1) Cfr. supra, pag. 754 (*23 mart.*).

(2) Cfr. supra, pag. 755 (*17 apr.*).

30 iun. 1930. — Nonnullos peregrinorum manipulos, qui occasione canonizationum ex Canada, ex Hispania, ex Gallia, ex Italia etc. venerunt, Pater Noster excipit.

1 iul. — Excell.mus Dom. Honoratus Mercier, Status Minister Provinciae Quebecensis in Canada, qui sui Gubernii personam ex officio gessit in festis canonizationis Martyrum Canadensium.

8 iul. — Em. Card. Achilles Liénart, Episcopus Insulensis (Lille).

15 iul. — Complures iuvenes studentes Consociationi Missionariae Studentium adscripti, qui conventum suae consociationis nuper habuerunt in nostro Collegio Tusculano (Mondragone, Prov. Rom.), ducibus PP. Iosepho Massaruti (Prov. Rom.) et Hermanno Haeck e nostro Secretariatu Missionum.

21 iul. — Em. Card. Sebastianus Leme da Silveira Cintra, Archiepiscopus Fluminis Januarii in Brasilia.

22 iul. — Rev.mus DD. Ryan, Rector Universitatis Catholicae Washingtonensis.

2 oct. — Ill.mus Dom. Adv. Angelus Raphael Jervolino, Praeses Consociationis Iuventutis Catholicae Italicae.

15 oct. — Em. Card. Gustavus Fridericus Piffl, Archiepiscopus Vindobonensis.

22 oct. — Excell.mus ac RR. DD. Hermenegildus Pellegrinetti, Archiepiscopus tit. Adanensis, Nuntius Apostolicus in Jugoslavia.

24 oct. — Excell.mus ac RR. DD. Laurentius Schioppa, Archiepiscopus tit. Mocissenus, Internuntius Apostolicus in Hollandia.

26 oct. — Undetriginta novi Sacerdotes alumni Collegii Pii Latini Americani in Urbe.

31 dec. — Rev.mus P. Dom. Fidelis de Stotzingen, Abbas Primas O. S. B.

Status Curiae Societatis Iesu exeunte anno 1930.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE 11 FEBRUARII 1915.

Borgo Santo Spirito, 5 - Roma (113) *
(Pro Telegram.: GISA-ROMA)

P. Petrus Boetto, *Assist. Ital., Vicesup. dom.* . Prov. Taurin.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ., Admon., Conf. dom.* . . . . » Neerland.
P. Norbertus de Boynes, *Assist. Gall., Praef. valet., Conf. dom.* . . . . » Franc.
P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, *Assist. Hisp., Praef. spir., Conf. dom.* . . . . » Legion.
P. Iosephus Welsby, *Assist. Angl., Conf. dom.* . » Angl.
P. Aemilius Mattern, *Assist. Amer., Conf. dom.* » Neo Aurel.
P. . . . . . . *Assist. Slav., Conf. dom.* . . . . . . » . . . . .
P. Iosephus Demaux-Lagrange, *Secr. Soc., Cons. dom. an. 5* . . . . » Tolos.
P. Augustinus Tesio, *Proc. Gen., Praes. coll. cas., Expl. med. FF. CC. per vic.* . . . . . . » Taurin.
P. Antonius Stravino, *Oecon. Gen., Conf. dom., Cons. dom. an. 7* . . . . » Neapol.

* Pro omnibus rebus, quae vectigalibus portorii sunt obnoxiae, ut sunt merces ponderosae vel fasciculi postales, inscriptio ita debet esse:

Vincolato Dogana Roma
Immobili Gianicolo
Casa Generalizia Gesuiti
. . . . (nomen destinatarii)
Borgo S. Spirito, 5 - ROMA.

P. Renatus Fraeys, *Min., Proc. dom., Praef. eccl. et sac. dom., Cons. dom. an. 4* . . . . . Prov. Belg.
P. Azzolini Hilarius, *Subsecr. Soc., Cur. « Acta Rom. », Praef. lect. ad mens* . . . . » Ven.
P. Basterra Petrus, *Cons. aedilic.* . . . . » Castell.
P. Battiston Aegidius, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Ital., Expl. med. FF. CC. per vic.* » Ven.
P. Coemans Augustus, *Parat edit. Instit. recogn., Conf. dom.* . . . . » Belg.
P. Crivelli Camillus, *Substit. 2 Secr. Soc. pro Assist. Hisp., Catech. FF. CC., Expl. med. FF. CC. per vic.* . . . . » Mexic.
P. Donnelly Daniel, *Adiut. Secr. pro Mission.* . » Hibern.
P. Dragon Antonius, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Angl., Submin.* . . . . » Can. Inf.
P. Dubois Henricus, *Adit. Secr. pro Miss., Secr. Confer. Mission, pro Africa, Script.* . . . » Campan.
P. de Durat Franciscus Xav., *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Gall.* . . . . » Lugdun.
P. Errandonea Ignatius, *Adiut. Secr. Soc. pro redig. « Memorab. S. I. », Rev. gen. libr.* . » Castell.
P. Fabbri Silvius, *Rev. gen. libr.* (*Via G. G. Belli, 3 - Roma, 126*) . . . . » Rom.
P. Gilen Leonardus, *Adiut. Praes. Secretariat. Congr. Mar.* . . . . » Germ. Inf.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.* . . . . . » Belg.
P. Goulet Eduardus, *Secr. pro Mission.* . . . . » Can. Inf.
P. Grattan Ioannes E., *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Amer.* . . . . » Maryl. - N. E.
P. Haeck Hermanus, *Adiut. Secr. pro Mission.* . » Belg.
P. Huarte Gabriel, *Rev. gen. libr.* (*Via G. G. Belli, 3 - Roma, 126*) . . . . » Castell.
P. Kleiser Alfonsus, *Adiut. Secr. Soc.* (*Ignatius-College, Valkenburg, Neerlandia*) . . . . » Germ. Sup.
P. Mendizábal Rufus, *Substit. 1 Secr. Soc. pro Assist. Hisp., Expl. med. FF. CC. per vic.* » Castell.
P. Miccinelli Carolus, *Postulat. gen. caus. NN. VV. et BB., Cons. dom.* . . . . » Rom.
P. van Offeren Henricus, *Adiut. Oecon. Gen., Rev. admin. temp.* . . . . » Neerland.
P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr.* . . . » Tolet.

P. Sakač Stephanus Marc. Cris., *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Slav., Praef. sac. rit. orient., Expl. med. FF. CC. per vic.* . . . V. Prov. Iugosl.
P. Sautu Iulianus, *Parat regesta* . . . . Prov. Castell.
P. Studer Leo, *Substit. Secr. Soc. pro Assist. Germ.* . . . . » Germ. Sup.
P. Valle Antonius, *Praef. biblioth., Adiut. Archiv., Script.* . . . . » Legion.
P. Villaret Aemilius, *Praes. Secretariat. Congr. Mar.* . . . . » Campan
P. Zeij Iacobus, *Dir. gen. deleg. Apost. Orat.* . . » Neerland.

COADIUTORES:

Amiano Felix, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt* . . Prov. Castell.
Arámburu Franciscus, *Adiut. coq.* . . . . » Castell.
Arribas Antonius, *Soc. Postul. gen. caus. NN. VV. et BB., Cust. Reliq., Pict., Ad dom.* » Arag.
Baguñá Narcissus, *Soc. Secr. Soc., Aman., Ad dom.* . . . . » Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. 1 P. Gen., Aedit., Vis. mat. et noct.* . . . . » Arag.
Barlassina Ioannes B., *Sart., Cust. vest. et lint., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . . » Ven.
Beekmann Godefridus, *Soc. 1 Adiut. Secret. Soc. (Valkenburg etc.)* . . . . » Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom.* . . . . » Lugdun.
Berce Antonius, *Soc. Praes. Secretariat. Congr. Mar., Aman., Ad dom., Soc. exeunt* . . . V. Prov. Iugosl.
Bieganski Antonius, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt* Prov. Pol. M. et M.
Eceiza Franciscus, *Infirm., Ad dom.* . . . . . . » Rom.
Garate Iosephus M., *Adiut. cust. vest. et lint., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . » Castell.
Gorostiza Franciscus, *Adiut. aedit., Ad dom.* . . » Castell.
Herrero Aemilius, *Soc. 2 P. Gen., Aman., Ad dom.* » Legion.
Iragui Bonifacius, *Adiut. coq., Cellar.* . . . . » Castell.
Lampe Maximilianus, *Adiut. Min., Ad dom.* . . » Neerland.
Luján Salvator, *Soc. 2 Oecon. Gen., Ad dom.* . . » Tolet.
Miranda Iosephus, *Ad dom., Soc. exeunt* . . . . » Legion.
Morant Iosephus, *Soc. Dir. gen. deleg. Apost. Orat., Aman., Ad dom.* . . . . » Arag.
Mulatti Angelus, *Cur. aedif. novae Curiae, Ad dom.* . . . . » Ven.

Oteiza Esdras, *Aman., Comp. mss. et libr., Ad dom.* . . . . Prov. Castell.
Otrebski Eugenius, *Soc. Proc. Gen.., Aman., Ad dom.* . . . . » Pol. Min.
Oyen Hermannus, *Soc. Secr. pro Mission., Aman., Adiut. infirm., Ad dom.* . . . . » Belg.
Prieto Iosephus, *Soc. 1 Oecon. Gen., Vis. orat. et exam., Ad dom.* . . . . » Legion.
Sangalli Iosephus, *Empt., Coq., Excit.* . . . . » Ven.
Sullivan Philippus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt* » Chicag.
Tortosa Aloisius, *Ian.* . . . . » Arag.
Vielva Iulius, *Cust. tricl., Ad dom.* . . . . . . » Legion.
Villa Raimundus, *Aman., Ad dom., Cur. expedit. rer.* . . . . » Castell.
Vögele Georgius, *Soc. 2 Adiut. Secr. Soc. (Valkenburg etc.)* . . . . » Germ. Sup.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . » Ven.

Curiae annumerantur:

P. Codina Arthurus, *Script. oper. « Monumenta histor S. I. », Parat edit. Constit., Conf. dom.* . . . . Prov. Arag.
P. Fernández Dionysius, *Dir. oper. « Monumenta hist. S. I. », Script.* . . . . » Legion.
P. Kratz Gulielmus, *Script.* . . . . » Germ. Inf.
P. March Iosephus M., *Script.* . . . . » Arag.
Argemir Raimundus, *Coad., Soc. 1 Direct. oper. « Monumenta hist. S. I. », Aman., Ad dom.* » Arag.

Sac. 43. — Coad. 32. — Univ. 75.



S. F. Borgia offert Summo Pont. librum Exercitiorum.



S. Alphonsus Rodriguez.

Imagines a F. Martino Coronas († 18 sept. 1928) depictae.



Hierosolymitana Domus
Pontificii Instituti Biblici.



BUDAPESTINA (Prov. Hungar.) Domus Probationis et Exercitiorum.

III.

DE PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

Nominationes Pontificiae (1).

Decembri 1928. — P. Albertus Vaccari (Prov. Taurin.), Adiutor Praesidis Pontif. Instituti Biblici et Lector ibidem, renuntiatus est Consultor Pontificiae Commissionis Biblicae.

Martio 1929. — A Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus inter Consultores peculiaris Commissionis ad nova statuta paranda pro collatione graduum academicorum in Universitatibus Pontificiis adlecti sunt e Nostris: P. Dominicus M. Palermo Lazzarini (Prov. Rom.) Praefectus generalis studiorum in Pontif. Univers. Gregoriana et P. Augustinus Bea (Prov. Germ. Sup.) Professor ibidem et in Pontif. Instituto Biblico (2).

29 nov. 1929. — P. Felix M. Cappello (Prov. Rom.), Lector Iuris Canonici in Pontif. Univ. Gregoriana, Consultor Sacrae Congregationis Consistorialis renuntiatus est (3).

2 dec. 1929. — Em. Card. Franciscus Ehrle S. I. (Prov. Germ. Sup.) adlegitur ut unus e Patribus Cardinalibus peculiaris Commissionis Cardinaliciae pro studiis praeparatoriis pro Codificatione Orientali (4). — Inter Consultores eiusdem Commissionis dein adlecti sunt e Nostris: P. Felix M. Cappello (Prov. Rom.) in Pontif. Univ. Gregoriana Lector Iuris Canonici et P. Carolus Abéla (Prov. Lugdun.) ex Universitate Berythensi in Syria (5).

18 oct. 1929. — R. P. Vendelinus Javorka (Prov. Cechoslov.) a Summo Pontifice nominatur primus Rector Pontificii Collegii Russici S. Teresiae a Iesu Infante in Urbe.

19 dec. 1929. — R. P. Thomas Berutti (Prov. Taurin.) in Consistorio secreto hodierno eligitur Episcopus tit. Cusiensis et primus

(1) V. etiam supra, pag. 408.

(2) *Acta Apost. Sedis,* vol. XXII, 1930, pag. 94.

(3) *Acta Apost. Sedis,* vol. XXII, 1930, pag. 149.

(4) *Acta Apost. Sedis,* vol. XXI, 1929, pag. 669.

(5) Cfr. ephem. *Osservatore Romano,* d. 2 apr. 1930.

Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Pengpu in Sinis (1). — Die *8 iun. 1930* in festo Pentecostes consecrationem episcopalem sollemniter recepit in Cathedrali Ecclesia Bugellensi (Biella, Italia), in qua dioecesi ortus est.

17 febr. 1930. — R. P. Fridericus Melendro (Prov. Legion.) eligitur Episcopus tit. Remesianensis et primus Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Anking in Sinis (2). — Die *1 iun.* episcopalem consecrationem recepit in ipsa sua urbe Anking a RR. DD. Vincentio Huarte S. I. (Prov. Castell.) Vicario Apostolico de Wuhu (3).

22 febr. 1930. — Inter Consultores novae Sectionis Historicae, nuper institutae apud Sacram Rituum Congregationem, e Nostris adlecti sunt: PP. Hippolytus Delehaye et Paulus Peeters (Prov. Belg.) e Bollandistis, P. Carolus Newdigate (Prov. Angl.), P. Carolus Silva-Tarouca (Prov. Cechoslov.) ex Univ. Gregoriana, P. Petrus Tacchi-Venturi (Prov. Rom.) (4).

6 apr. 1930. — RR. DD. Michael d'Herbigny S. I. (Prov. Camp.) Praeses Pontificiae Commissionis pro Russia renuntiatur (5).

26 apr. 1930. — R. P. Ioannes Bapt. du Dréneuf (Viceprov. Brasil. Centr.) renuntiatur Administrator Apostolicus novae Praelaturae *nullius* Adamanteae in Brasilia (6).

3 iul. 1930. — R. P. Thomas A. Emmet (Prov. Nov. Angl.), in hodierno Consistorio secreto, Episcopus tit. Tuscaniensis eligitur et Vicarius Apostolicus Jamaicensis designatur (7). — Episcopalem consecrationem recepit die *21 sept.* in urbe Boston ab Emo. Card. Gulielmo O' Connell Archiepiscopo Bostoniensi.

6 iul. 1930. — Praeses Pontif. Instituti Biblici renuntiatur R. P. Augustinus Bea (Prov. Germ. Sup.), iam ibidem Professor.

19 sept. 1930. — P. Ioannes Stein (Prov. Neerl.) Director Speculae astronomicae Vaticanae nominatur (8).

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXI, 1929, pag. 687, et vol. XXII, 1930, pag. 145; — cfr. hic supra, pag. 411, quod ad novi Vicariatus erectionem; et etiam *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 164-165.

(2) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXII, 1930, pp. 134, 305, 324; — quod ad novi Vicariatus erectionem, cfr. hic supra, pag. 411; et etiam *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 163-164.

(3) RR. DD. Fridericus Melendro huc usque iunior est inter omnes Episcopos Nostros nunc viventes, nam ortus est die 18 iulii 1889.

(4) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXII, 1930, pp. 294-295.

(5) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXII, 1930, pag. 154.

(6) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 419-422.

(7) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXII, 1930, pp. 308, 458.

(8) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXII, 1930, pag. 462.

23 sept. 1930. — P. Iosephus Gianfranceschi (Prov. Rom.) Director novae Stationis « Radio » Vaticanae nominatur (1).

28 nov. 1930. — P. Aemilius Herman (Prov. Germ. Infer.), Professor in Pontif. Instituto Orientali, Consultor Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali renuntiatur (2).

3 dec. 1930. — P. Arthurus Vermeersch (Prov. Belg.), Lector theologiae moralis in Pontif. Univ. Gregoriana, Consultor renuntiatur Pontificiae Commissionis pro interpretatione Codicis Iuris Canonici (3).

Nominationes Superiorum Maiorum (4).

Administrationem suscipiunt:

31 iul. 1928. — R. P. Maurilius Detroux, Missionis Manabi-Esmeraldensis in Republica Aequatoriana (Prov. Balt.) Superior regularis.

10 oct. — R. P. Franciscus Xav. Larbolette, Missionis Hirohimensis in Japonia (Prov. Germ. Inf.) Superior regularis.

8 dec. — R. P. Ioannes Delom, Missionis Tananarivensis in Madagascar (Prov. Tolos.) Superior regularis.

5 ian. 1929. — R. P. Iulius Lambrette, Missionis Kwangensis (Prov. Belg.) Superior regularis.

17 apr. — R. P. Augustinus Waldner, Missionis Centro-Americanae (Prov. Mexic.) Superior regularis.

29 iun. 1929. — R. P. Henricus Keijsers, Praepositus Provinciae Neerlandicae.

16 aug. — R. P. Leopoldus Skarek, Praepositus Provinciae Cechoslovachiae.

8 sept. — R. P. Evaristus Ipiñazar, Missionis Venezolanae (Prov. Castell.) Superior regularis.

10 oct. — R. P. Iosephus Caelestinus Balazeiro, Missionis Brasiliae Septemtrionalis (Prov. Lusit.) Superior regularis.

27 oct. — R. P. Maximilianus Riklin, Missionis Poonensis in Indiis (Prov. Germ. Super.) Superior regularis.

15 nov. — R. P. Edmundus Galván, Missionis Tarahumara (Prov. Mexic.) Vicesuperior regularis.

4 mart. 1930. — R. P. Iaphet Stan. Jollain (Prov. Neapol.), Praepositus Provinciae Siculae.

---

(1) Cfr. ephem. *Osservatore Romano*, d. 24 sept. 1930.

(2) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXIII, 1931, pag. 28.

(3) *Acta Apost. Sedis*, vol. XXIII, 1931, pag. 28.

(4) V. etiam supra, pp. 408-410.

25 mart. 1930. — R. P. Ioannes Bapt. Kipp (Prov. Germ. Inf.), Superior Provincialis Lithuaniae (1).

13 apr. — R. P. Mauritius Boutry, Missionis Trincomaliensis in insula Ceylon (Prov. Camp.) Superior regularis.

26 apr. — R. P. Ioannes Bapt. du Dréneuf, Missionis Adamanteae Matto-Grossensis (Viceprov. Brasil. Centr.) Superior regularis.

16 mai. — R. P. Thomas A. M. Shanahan, Missionis Insularum Philippinarum (Prov. Maryl. - N. E.) Vicesuperior regularis (2).

19 iun. — R. P. Carolus H. Cloud, Praepositus Provinciae Chicagiensis.

27 iun. — R. P. Adulfus Mariotti, Praepositus Provinciae Romanae (3).

10 iul. — R. P. Carolus Van de Vorst, Praepositus Provinciae Belgicae.

28 iul. — R. P. Iosephus M. Murall, Praepositus Provinciae Aragoniae.

31 iul. — R. P. Iacobus Severino, Missionis Graecae (Prov. Sic.) Superior regularis.

15 aug. — R. P. Arsenius Lambert, Praepositus Provinciae Franciae.

5 sept. — R. P. Christophorus de Bonneville, Praepositus Provinciae Lugdunensis.

8 sept. — R. P. Antonius Medina, Praepositus Provinciae Toletanae.

13 oct. — R. P. Ioannes L. Lucchesi, Missionis Alaskanae (Prov. Calif.) Vicesuperior regularis (4).

19 oct. — R. P. Martinus Mendoza, Praepositus Viceprovinciae Peruvianae a Provincia Toletana dependentis.

26 oct. — R. P. Prudentius De Clippeleir, Praepositus Viceprovinciae Aequatorianae a Provincia Baetica dependentis (5).

26 oct. — R. P. Narcissus Alonso, Missionis Ankinensis (Prov. Legion.) Superior regularis.

27 oct. — R. P. Iosephus Peano, Praepositus Provinciae Taurinensis (6).

---

(1) Cfr. *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 588-589.

(2) Ob absentiam primum, deinde ob mortem R. P. Iacobi I. Carlin Superioris regularis: cfr. supra, pag. 522.

(3) V. supra, pag. 755 (*27 iun.*).

(4) Ob inopinatam mortem Superioris regularis R. P. Philippi I. Delon: cfr. supra, pag. 618.

(5) Iam illam Missionem regebat inde a die 8 dec. 1927 ut Superior regularis.

(6) V. supra, pag. 763 (*24-27 oct.*).

22 dec. 1930. — R. P. Iacobus T. G. Hayes, Missionis Insularum Philippinarum (Prov. Maryl. - N. E.) Superior regularis.

25 dec. — R. P. Iosephus Llussá, Viceprovincialis in Regione Chilensi (Prov. Argent.-Chilen.) (1).

25 dec. — R. P. Gualterus I. Fitzgerald, Viceprovincialis in Regione Montium Saxosorum (Prov. Calif.) (2).

Mutationes in Provinciarum ac Missionum administratione (3).

15 febr. 1929. — Litteris Apostolicis « In longinquis » hodie datis, ex archidiocesi Calcuttensi in Indiis Orientalibus pars quaedam territorii distrahitur et novae Missioni Sinensi independenti de Sikkim tribuitur (4).

22 mart. 1929. — Constitutione Apostolica « Cura universae » hodie data, sed nonnisi *26 apr. 1930* per exsecutoriale decretum Ex cell.mi ac RR. DD. Nuntii Apostolici in Brasilia promulgata, nova Praelatura « nullius » Adamantea nuncupata erigitur, Societati (Viceprov. Brasil. Centr.) commissa (5).

24 maii 1929. — Litteris Apostolicis « Quod Nobis » hodie datis, ex Vicariatu Apostolico de Sienhsien (Prov. Camp. commisso) distrahitur territorium de Yungnien, quod in Praefecturam Apostolicam hoc nomine nuncupatam erigitur, clero indigenae concredendam (6).

3 iul. 1929. — Per Constitutionem Apostolicam « Quae ad spirituale » hodie data, dum nova circumscriptio decernitur dioecesis Sancti Thomae de Meliapor in Indiis, quaedam finium mutationes archidioecesis Calcuttensis et dioecesis Trichinopolitanae, ideoque etiam nostrarum respective Missionis Calcuttensis (Prov. Belg.) et Viceprovinciae Madurensis (Prov. Tolos.), statuuntur (7).

8 sept. 1929. — Domus quas in Republica Venezolana habet Provincia Castellana sub uno Superiore regulari hodie renuntiato constituuntur, atque ita Missio Venezolana fit, addita etiam Residentia in Republica Panamensi sita (8).

---

(1) Cfr. infra, pag. 776 (*25 dec.*).

(2) Cfr. infra, pag. 776 (*25 dec.*).

(3) V. etiam supra, pp. 410-411.

(4) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pag. 300.

(5) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 419-422.

(6) *Acta Rom.*, vol. VI, 1929, pp. 173-174.

(7) *Acta Rom.*, vol. VI. 1930, pag. 533.

(8) Cfr. supra, pag. 773 (*8 sept.*); — item cfr. *Catal. Prov. Castell.* an. 1931, pp. 61-71.

25 ian. 1930. — Letteris Apostolicis « Romanum Pontificem » hodie datis, fines reguntur inter dioecesim Poonensem et archidioecesim Bombayensem, ideoque etiam fines nostrarum respective Missionum Poonensis (Prov. Germ. Sup.) et Bombayensis (Prov. Arag.) (1).

25 mart. 1930. — Decreto Patris Nostri die *19 mart.* dato et hodie promulgato, declaratur Societatis nostrae domos in Lithuania (addito etiam territorio Lettoniae et Estoniae) regularem secundum Codicem Iuris Canonici Provinciam constituere: ea tamen peculiari curae Viceprovincialis Regionis Germaniae Orientalis commendata esse perseverat (2).

12 maii 1930. — Litteris Patris Nostri hodie datis, fines Missionum de Wuhu (Prov. Castell.) et Ankinensis (Prov. Legion.) in Sinis aliquantulum mutati declarantur, ut plene conveniant cum finibus duorum respective Vicariatuum (3).

31 iul. 1930. — Ad meliorem gubernationem domorum quae in Graecia et insulis Aegaeis habet Provincia Sicula, petente huius Provinciae Praeposito, eas in unam Missionem Graecam nuncupandam cooptavit Pater Noster et hodie primus novae huius Missionis sic constitutae Superiori regularis renuntiatur (4).

Octobri 1930. — Missionibus Aequatorianae (Prov. Baet.) et Peruvianae (Prov. Tolet.) conceditur, ut Viceprovinciae ab iisdem Provinciis dependentes, potius quam Missiones, deinceps vocentur et sint (5).

25 dec. 1930. — Litteris Patris Nostri die *8 sept.* datis et hodie promulgatis, administratio Provinciae Argentino-Chilensis ita dividitur, ut Regio Chilensis proprio Viceprovinciali proxime regenda committatur (6).

25 dec. 1930. — Litteris Patris Nostri die *26 nov.* datis et hodie promulgatis, administratio Provinciae Californiae ita dividitur, ut pars septemtrionalis, « Regio Montium Saxosorum » nuncupanda, proprio Viceprovinciali proxime regenda committatur (7).

---

(1) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pag. 539.

(2) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 588-589. — Cfr. hic supra, pag. 496; — item cfr. *Catal. Prov. Germ. Inf.* an. 1931, pp. 47-51.

(3) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pag. 658.

(4) Cfr. supra, pag. 774 (*31 iul.*): — item cfr. *Catal. Prov. Siculae* an. 1931, pp. 29-32.

(5) Cfr. supra, pag. 774 (*19* et *26 oct.*); — item cfr. *Catal. Prov. Baet. et Prov. Tolet. an.* 1931.

(6) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 663-665.

(7) *Acta Rom.*, vol. VI, 1930, pp. 677-679.

Visitationes Missionum (1).

Viceprovinciam Madurensem (Prov. Tolos.) a mense iunio 1929 ad februarium 1931 visitavit R. P. Petrus Willekens (Prov. Neerl.), qui per id tempus identidem etiam alia quaedam negotia in proximis aliis Missionibus commissa habuit (2).

Missiones Bombayensem (Prov. Arag.) *et Poonensem* (Prov. Germ. Sup.) visitavit R. P. Ioachimus Vilallonga (3), a die 2 augusti ad 1 novembris 1930.

Missionem Kwangensem (Prov. Belg.) visitavit R. P. Iulius Misson, Viceprovincialis pro regione meridionali Prov. Belgicae, mensibus octobri-decembri 1930.

Domus novae, translatae, dissolutae annis 1926-1930.

Nota. — De minoribus quibusdam huiusmodi mutationibus, praesertim quoad Stationes aut parvas Residentias Missionum, quae facilius mutationi sunt obnoxiae, hic rationem habere non vacat, ne elenchus iste nimium producatur (4).

CURIA SOCIETATIS:

Novam domum inhabitare coepimus ab exeunte anno 1927 (5). — *Borgo Santo Spirito, 5,* Roma (113).

Exercitiorum domus, Curiae fere contiguae (6), (quae ex parte quidem constat ex antiqua Villa Barberinia paulisper aptata sed intactis relictis aulis pulchra arte depictis et ornatis, ex parte tamen multo maiore ex novo extruenda fuit) primus lapis a Patre Nostro die 29 maii 1929 deiectus est (7), et exeunte anno 1930 perfecta dici poterat (8). — Dein Provinciae Romanae, certis statutis condicionibus, administranda committetur.

---

(1) V. etiam supra, pp. 411-412.

(2) Cfr. supra, pp. 412 et 518 (nota).

(3) Cfr. supra, pag. 408 (*8 mart.*); — item pag. 763 (*14 nov.*). — Usque ad 28 iul. 1930 erat Praepositus suae Prov. Aragoniae (cfr. supra, pag. 408, nota 5).

(4) Cfr. supra, pp. 53-54, 108-110.

(5) V. supra, pp. 113-120, 194, 585-592.

(6) V. supra, pag. 591.

(7) V. supra, pag. 735 (*29 maii*).

(8) V. supra, pag. 759 (*13 dec.*).

Pontificium Collegium Russicum:

Pontificium Collegium Russicum, a S. Teresia ab Infante Iesu nuncupatum, Societati commissum, inhabitari coepit die festo Christi Regis (27 octobris) anno 1929; eius tamen sollemnis benedictio in diem 11 februarii anni 1930 dilata est, quo die Em. Card. Aloisius Sincero illud dedicavit (1). — *Via Carlo Cattaneo, 2,* Roma (128).

Pontificium Institutum Biblicum:

Hierosolymitana Domus (2) plene constituta est et primum suum habuit Superiorem localem de 15 augusti 1927. — *Pont. Istituto Biblico, P. O. B. 497.* — Jerusalem (*Palestina*).

Prov. Romana:

Pontif. Universitas Gregoriana novam sedem anno 1930 obtinuit (*Piazza della Pilotta,* Roma 101), ut alias fuse narratum est (3). — In antiquis aedibus Scholastici degere pergunt ibique sedem habet Institutum culturae religiosae superioris pro laicis Universitati Gregorianae adnexum.

Domus Exercitiorum, quae in Villa Carpegna aliquot annis fuerat, anno 1927 relicta est.

Domus tertiae probationis anno 1930 Florentia Romam translata est, aedes tenens antiquae Domus Professae ad SS. Nominis Iesu, manente Florentiae Residentia. — *Piazza del Gesù, 45,* Roma 117.

Liburnense Collegium aptiores et pulchriores aedes habuit anno 1926 e munificentia Comitis Thomae Pate eiusque uxoris, quos ambos Pater Noster die 25 aprilis 1928 Fundatores Collegii declaravit, cum iuribus huic titulo adnexis, sed tantum in Provincia Romana (Epit. n. 583 § 1 et n. 855) urgendis. — *Via del Platano, 4,* Livorno.

Bononiae, praeter Residentiam iam diu constitutam, Congregatio Mariana pro studentibus illius Universitatis propriam domum obtinuit, in qua ab anno 1930 duo Patres degere coeperunt. — Item, Exercitiorum Domus apud Sanctuarium B. M. V. a Sancto Luca proximis hisce annis constituta est.

---

(1) In proximo fasciculo plura dicentur de hoc Collegio.

(2) Cfr. supra, pp. 108, 121.

(3) V. supra, pp. 553-574.

PROV. ANGLIAE:

Residentia Sancti Edmundi, in Bury St. Edmundus (Suffolk) sita, anno 1929 derelicta est.

In Missione Salisburyensi, item anno 1929, dissoluta est *Residentia Empandensis* et nova *Montis Cassinatis Residentia* inchoata. *Monte Cassino Mission*, P. O. Macheke (*S. Rhodesia*).

PROV. ARGENTINO-CHILENSIS:

Portuvarensis Residentia (Puerto Varas in Chile) anno 1926-1927 dissoluta est.

PROV. BAETICA:

Gaditana Residentia Sancti Iacobi et Domus Exercitiorum anno 1928 inchoata est. — *Plaza de la Catedral, 10*, Cádiz.

PROV. BELGICA:

Namurcensis Convictus Russiacus S. Georgii a Collegio Namurcensi dependens, anno 1928 propriam sedem habere coepit. — *Internat St. Georges, Avenue de Salzinnes, 16-18*, Namur.

VICEPROV. BRASILIAE CENTRALIS:

Anchietana Residentia ineunte anno 1928 inchoata est, ubi Nostri etiam paroeciam illam administrant. — Est autem *Anchieta* oppidum in Statu Spiritus Sancti (Brasilia) situm, quod tempore Ven. P. Iosephi Anchieta *Reriglība* vocabatur, sed nunc ab ipso Venerabilis Patris nomine nuncupatur. Nostri domum ipsam inhabitant, in qua clarissimus ille Brasiliae apostolus sanctissimam animam Deo reddidit die 9 iunii 1597. — *Via Victoria, E. F. Leopoldina*, Anchieta (*E. do Esp. Santo*).

Missio Adamantea in Statu Matto Grosso inchoata est iure quidem anno 1929, sed revera anno 1930, ut supra diximus (1). — *Casa dos PP. Jesuitas*, Diamantino (*Est. do Matto Grosso*).

PROV. BRASILIAE MERIDIONALIS:

Residentiae Lageadensis (Lageado) et *Neo-Petropolitana* (Nova-Petropolis, Cahy) annis respective 1927 et 1928 dissolutae sunt.

---

(1) V. supra, pag. 775 (*22 mart. 1929*).

Prov. Californiae:

Phoenicense Collegium et Convictus S. Francisci Xaverii, ex munificentia Familiae Brophy erectum, anno 1928 felice admodum initium fecit. — *Brophy College*, Phoenix (*Arizona, U. S. N.*).

Residentia Seattlensis B. M. V. Immaculatae anno 1929 derelicta est.

Tacomana Residentia anno 1927 in Collegium inchoatum mutata est, sed dein, Collegio proprias novas aedes obtinente, Residentia iterum restituta est ad Sancti Leonis, sed a Collegio dependens.

Tacomanum Collegium S. Roberti Bellarmini proprias aedes a Residentia domo distinctas anno 1930 inhabitare coepit. — *Bellarmine College, 2300 South Washington St.*, Tacoma (*Wash., U. S. A.*).

Prov. Campaniae:

Domus tertiae probationis e Belgio (*Florennes*) in Galliam translata est et in clara Abbatia S. Achaeoli apud Ambianum iterum constituta anno 1928. — *Abbaye St. Acheul, chaussée Périgord, 50*, Amiens (*Somme*).

In Missione Sinensi, Collegio Nostrorum Sienhsien anno 1927 addita est Domus probationis pro Sinensibus.

Prov. Canadae Inferioris:

Chicoutimiensis Residentia et Domus Exercitiorum S. Ignatii anno 1927 feliciter inchoata est. — *Maison du Val-Racine*, Chicoutimi-Ouest (*P. Q.*).

Marianopolitanum Collegium et Convictus S. Ioannis de Brébeuf, novissime et magnificenter exstructum, anno 1928 prospere patere et frequentari avide coepit. — *College Jean-de-Brébeuf. — Côte-des-Neiges*, Montréal (*Canada*).

Marianopolitanum Seminarium minus Societatis, a Sancto Ignatio nuncupatum, quod ante aliquot annos inchoatum erat et Collegio Maximo adnexum, anno 1929 propriam vitam vivere et propriis aedibus frui coepit, quamquam adhuc a Collegio Maximo dependens est. — *Ecole St. Ignace, rue Bellechasse*, 2919, Montréal (*Canada*).

Quebecensis Residentia Dominae Nostrae a Strata anno 1929 suspensa est, ut ibidem novum Collegium pararetur.

Quebecense Collegium S. Caroli Garnier, in locum Residentiae Dominae Nostrae a Strata suffectum, anno 1930 frequentari coepit — *Collège des Jésuites, Chemin-Ste-Foy, 83*, Québec (*Canada*).

VICEPROV. CANADAE SUPERIORIS:

Torontonense Collegium NN. Christi Regis pro auditoribus philosophiae Viceprovinciae anno 1930 inchoatum est. — *Jesuit Seminary of Philosophy, 403 Wellington St. W.*, Toronto 2 (*Ontario*).

PROV. CASTELLANA:

Sancti Sebastiani Collegium, a S. Ignatio de Loyola nuncupatum, pro alumnis externis institutum, anno 1929 initium habuit. — *Colegio de S. Ignacio de Loyola, Alegorrieta,* San Sebastián.

Tenerifensis Residentia in insulis Canariis anno 1929 inchoata est. — *Parroquia de la Concepción,* Santa Cruz de Tenerife (*Canarias*).

In Republica Venezolana anno 1927 inchoatum est novum Emeritense Collegium et Convictus S. Ioseph. — *Colegio de S. José, nislavov,* Ružomberok (*Slovensko*).

PROV. CECHOSLOVACHIAE:

Domus probationis pro regione Slovachiae Tyrnavia Rosembergam translata est anno 1930, relicta Tyrnaviae Residentia. — *Stanislavov,* Ružomberok (*Slovensko*).

Seminarium minus Societatis, Rosemberga relicta, novam sedem anno 1930 Cassoviae invenit, ubi etiam Residentia inchoata est. — *Komenského* 6, Košice (*Slovensko*).

PROV. COLUMBIANA:

Seminarium minus Societatis, a S. Petro Claver nuncupatum, anno 1926 sedem mutavit, ex villa « Santa Inés » in villam « Nazaret » apud Albán transiens. — *Jesuítas,* Albán (*Cundinamarca*).

In Missione Magdalenensi anno 1928 praecipua novae Praefecturae Statio in oppido Barrancabermeja constituta est. — *Casa de los PP. Jesuítas,* Barrancabermeja (*Columbia*).

PROV. FRANCIAE:

Praepositus Provincialis anno 1929 sedem suam Parisiensem col locat in domo propria in via Raynouart sita, prope Collegium S. Aloisii. — *Rue Raynouard, 9,* Paris (XVI).

Mourensis Domus Exercitiorum, a S. Francisco Regis nuncupata, alio translata Domo probationis Bellomontana (1), a qua pendebat, ab

---

(1) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 664.

anno 1926 sui iuris facta est. — *Villa St. Régis,* Mours par Beaumont-sur-Oise (*S.-et-O.*).

Parisiensis Domus valetudinaria, hactenus a Collegio Parisiensi S. Ignatii dependens, anno 1926 a proprio Superiore regi coepta est, titulo insignita Dominae Nostrae de Lourdes. — *Rue de Dantzig,* 10, Paris XV.

Nannetensis Residentia anno 1928 a Collegio separata est et sui iuris facta. — *Rue Dugommier, 9,* Nantes (*Loire-Infér.*).

Bruxellensis Statio in Belgio, ad tutiorem Provinciae administrationem, ex indulto Patris Nostri anno 1928 aperta est (relicta altera simili Statione, quam Provincia Franciae anno 1925 aperuerat item in Belgio apud *Rhode-St. Genèse*). — *Avenue Defré,* 91, *Uccle* 3, Bruxelles (*Belgique*).

In Missione Nankinensi in Sinis Collegium Nostrorum anno 1930 instituitur in pago *Zi-ka-wei* prope Residentiam iam ibi exsistentem, pro auditoribus theologiae ex omnibus nostris Missionibus Sinensibus.

Prov. Germaniae Inferioris:

Duisburgensis Residentia anno 1929 relicta est.

Exatensis Domus, alio translata tertia probatione, anno 1927 derelicta est a Nostris (1).

Godesbergense Collegium S. Aloisii anno 1929 novam sedem inhabitare coepit, cuius primarius lapis anno 1928 sollemniter positus erat. — *Stella Rheni, Elisabethstrasse,* Bad Godesberg (*Deutschland*).

Hannoverana Statio anno 1930 ad Residentiam veri nominis evecta est et S. Roberto Bellarmino dicata, cui adnexum est publicum Sacellum SS. Cordis. — *Hildsheimer Strasse, 21,* Hannover.

Monasteriensis Domus tertiae probationis, titulo B. M. V. Mediatricis omnium gratiarum, anno 1929 inchoata est. — *Haus Sentmaring,* Münster in W.

Sarloisiensis Residentia una cum convictu S. Petri Canisii anno 1928 aperta est. — *Canisianum, Stifstrasse,* Saarloois (*Deutschland*).

Tremoniensis Statio anno 1929 in Residentiam mutata est et Christo Regi dicata ac novam sedem in eadem urbe Dortmund invenit. — *Arndstrasse, 22,* Dortmund.

In Regione Germaniae Orientalis: anno 1928 aperta est nova Residentia *Beuthensis* ad SS. Cordis Iesu; item Statio *Schneidemühlensis;* — anno 1930 Residentia *Dresdensis* constituta est.

In Provincia Lithuaniae: anno 1929 aperta est Domus probationis *Tytaviensis;* — anno 1930 inchoata est Residentia *Siauliensis.*

---

(1) V. supra, pp. 634-637.

PROV. HIBERNIAE:

Tulliolana Domus, alio translata Domus probationis, anno 1930 in Collegium NN. conversa est pro auditoribus philosophiae, qui e Collegio Maximo Dublinensi huc transmigrarunt, theologis tantum ibi remanentibus.

Emensis Domus probationis anno 1930 erecta est eoque migrarunt Novitii e Domo Tulliolana. — *St. Mary's,* Emo (*Leix*).

Galviense Collegium, ad tempus suspensum et in Residentiam conversum (1), anno 1930 iterum frequentari coepit ab alumnis, ideoque ad Collegii gradum iterum evectum est.

PROV. HUNGARIAE:

Domus probationis, relicta sede *Erdensi,* in novam sedem apud Budapestinum in suburbio *Zugliget* anno 1928 migravit, ibique etiam Domus Exercitiorum aperta est. — *Labanc-ut.* 57, Budapest-Zugliget.

VICEPROV. IUGOSLAVIAE:

Domus probationis, relicta sede Labacensi (ubi mansit Residentia et Domus Exercitiorum), anno 1930 in novam aptioremque sedem translata est apud Zagrebiam sitam, Domo Exercitiorum etiam ibi aperta. — *Jordanovac* 110, Zagreb.

Belgradensis Residentia, in urbe regni Iugoslavici principe, anno 1930 inchoata est et S. Petro Apostolo dicata. — *Poenkareova ul. 23,* Beograd.

PROV. LUGDUNENSIS:

Praepositus Provincialis novam sedem ab anno 1930 occupat in domo Dominae Nostrae Lauretanae nuncupata apud Collegium Maximum Lugdunense. — *Montée St. Barthélemy, 42,* Lyon 5.

Domus probationis, relicta Villa Sancti Hugonis apud Gratianopolim (*Grenoble*), ubi mansit Domus Exercitiorum, anno 1927 aptiorem sedem invenit Isorii apud Molinas, quo etiam Iuniores (relicta domo *Bellecroix,* quae solum Domus Exercitiorum mansit) sese receperunt. — *Séminaire des Missions,* Yzeure (*Allier*).

Aquense Institutum Agronomicum, « La Félicité » nuncupatum, anno 1930 suppressum est.

Cannensis Residentia anno 1927 soluta est, eiusque loco aperta est nova Residentia *Nicaeae ad Varum,* Christo Regi dicata. — *Villa Léna, 8 Avenue Mirabeau,* Nice (*Alpes-Marit.*).

(1) Cfr. *Memorab. S. I.,* vol. II, 1926, pag. 666.

Statio ad Sanctum Leonardum in Anglia anno 1928 relicta est, eiusque loco nova similis Statio, ad tutiorem Provinciae administrationem, in Helvetia, de Patris Nostri facultate, aperta est apud Genevam. — *Villa Flora, Avenue de Champel, 40,* Genève (*Suisse*).

Nova *Domus Exercitiorum B. Claudii de la Colombière* apud Francamvillam anno 1930 aperta est. — *Le Châtelard,* Francheville (*Rhône*).

In Missione Syriae anno 1930 duae novae Stationes inchoatae sunt: *Kirik-Khan* et *Tartous.*

Prov. Lusitana:

In Lusitania ipsa, cautelis adhibitis adhuc necessariis, variae per hos annos apertae sunt Stationes, quas tamen opportunum ducimus hic nomine tenus indicare, nulla alia addita indicatione: *Braga, Covilhã, Lisboa, Porto, Póvoa.*

Pontevedrensis Residentia (in Hispania) anno 1928 soluta est et in Lusitaniam translata. — Item, anno 1929, *Civitatensis Residentia* (Ciudad Rodrigo in Hispania).

In Missione Brasiliae Septemtrionalis: anno 1927 inchoata est Statio Maranoniensis, Seminario Minori Baturitensi addicta.

Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis:

Altera Domus probationis ob ingentem Novitiorum numerum aperiri debuit, eaque in pago *Wernersville* anno 1930 inchoata est et S. Isaaco Jogues dicata. — *Novitiate of St. Isaac Jogues,* Wernersville (*Pa., U. S. A.*).

Prov. Mexicana:

In Mexicana ditione, persecutione religiosa non iam tam aperte saeviente et re catholica aliquantulum composita, nostrae domus prudenter et paulatim restituuntur, sed difficile est hodiernum earum statum adamussim determinare vel singillatim describere.

Elpasenses Residentiae duae novae accesserunt anno 1928, in iisque Nostri etiam Parochi vice funguntur.

In Missione Centro-Americana: anno 1928 *Managuensis Residentia* aperta est et Purificationi B. M. V. dicata. — *Iglesia de la Candelaria,* Managua (*Nicaragua*).

PROV. MISSOURIANA (1):

Domus tertiae probationis, quam ex urbe Cleveland in Hot Spring (Stat. North Carolina) anno 1926 translatam esse alias diximus (2), post annum Cleveland iterum repetiit et refectas ibi aedes inhabitare coepit autunnali tempore anni 1927. — *St. Stanislaus Novitiate, Brooklyn Station,* Cleveland (*Ohio*).

Detroitensis Schola Alta anno 1927 aperta est et Collegio Detroitensi subiecta; sed dein anno 1928 sui iuris facta est, quoad internum regimen, proprium habens veri nominis Rectorem. — *University of Detroit High School, 651 E. Jefferson Ave.,* Detroit (*Mich.*).

PROV. NEAPOLITANA:

Aquilanum Collegium, ad quod parandum anno 1926 Aquilana Residentia aperta erat (3), anno 1928 inchoari potuit magno cum civium gaudio, addito etiam Convictu. — *Collegio d'Abruzzo,* Aquila degli Abruzzi.

Vico-Aequense Collegium et Convictus anno 1929 dissolutum est eique suffectum est in iisdem aedibus Seminarium Minus Societatis, quod hactenus Collegio Lyciensi adnexum erat. — *Scuola Apostolica Sozi-Carafa,* Vico Equense (*Napoli*).

PROV. NEERLANDICA:

Catvicense Collegium et Convictus anno 1928 solutum est et relictum: Convictus tamen in urbe Haga-Comitis eodem anno instauratur (4). — *Huize Katwijk, Raamweg 47,* 's-Gravenhage.

Neomagense Collegium Nostrorum pro auditoribus philosophiae, S. Ioanni Berchmans dicatum, anno 1929 aperitur, relicto et soluto Collegio Veterebuscensi (*Oudenbosch*). — *Houtlaan 4,* Nijmegen.

In Missione Bataviae: anno 1928 apertum est Seminarium Minus S. Petri Canisii in urbe Djocjakarta; — et anno 1929 Residentiae Ambarawanae adiectum est Collegium inchoatum et Convictus S. Ioseph.

---

(1) Hae duae domus, quae hic commemorantur, Provinciae dein Chicagiensi dictae tributae sunt (15 aug. 1928): sed quando hae mutationes fiebant, Missouriana Provincia nondum divisa erat.

(2) V. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 688.

(3) V. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1926, pag. 661.

(4) V. supra, pp. 598-599.

Prov. Neo Aurelianensis:

Hot-Springs Residentia anno 1927 inchoata est. — *Loreto, Box 108,* Hot Springs (*North Carolina, U. S. A.*).

Prov. Poloniae Maioris et Mazoviae:

Petricoviensis Residentia anno 1927 derelicta est.
In Missione Orientali: anno 1929 nova Statio in urbe *Wilno* aperta est. — *Ul. Wielka 58 - m. 2.,* Wilno.

Prov. Poloniae Minoris:

In Missione Rumaenica: anno 1930 nova Statio *Magno-Varadinensis* (seu *Oradea Mare*) inchoata est. — Itemque *Iassyensis Seminarii Episcopalis* regimen Nostri eodem anno 1930 susceperunt.

Prov. Sicula:

Catanense Collegium Nostrorum anno 1930 suspensum est, eiusque loco in eadem Villa S. Francisci Xaverii Domus Exercitiorum aperitur. — *Villa S. Saverio,* Cibali-Catania (*Sicilia*).
In Missione Graeca anno 1930 inchoatum est parvum Seminarium Atheniense SS. Cordis pro clericis ritus latini, a Pio XI nuncupatum: Residentia vero Atheniensis huic Seminario locum cessit cum eoque unita est. — *Via Michele Voda, 28,* Atene.

Prov. Taurinensis:

Genuensis Residentia, relicta antiqua sede, in novas aedes apud templum S. Ambrosii olim nostrum et recens Societati restitutum exstructas anno 1928 transmigravit. — *Chiesa del Gesù, Via Petrarca 1,* Genova.
Taurinensis Schola Apostolica item anno 1928 Taurino proficiscitur et novam sedem invenit in pago Muzzano, unde *Mutianense Parvum Seminarium* deinceps nuncupatur. — *Scuola Apostolica,* Graglia per Muzzano (*Vercelli*).
Taurinensis Residentia aptiorem et templo SS. Martyrum contiguam novam sedem exstructam anno 1929 inhabitare coepit. — *Via Barbaroux, 30,* Torino 108.
Genuensis Domus Exercitiorum, in pago Quarto dei Mille sita, anno 1928 soluta est.
In Sardinia insula anno 1927 novum Kularitanum Pontificium Se-

minarium Societati commissum Nostri regere coeperunt (*Cuglieri, Nuoro*); — ad alium annum tamen manserunt etiam in Seminario Archiepiscopali Calaritano (*Cagliari*), sed anno 1928 ab illo recesserunt et parva Residentia in eadem Calaritana urbe inchoata est apud antiquum nostrum S. Michaelis templum Societati restitutum (1).

PROV. TOLETANA:

Matritensis Domus Scriptorum, hactenus Collegio Matritensi adnexa, anno 1927 propriam sedem invenit ibique constituta est. — *Serrano (Final), Apartado 6008,* Madrid.

PROV. TOLOSANA:

Burdigalense Collegium (*Tivoli*), Sancto Ioseph dicatum, anno 1927 Societati restitutum est. — *Collège St. Joseph de Tivoli, Boulev. Présid. Wilson, 370,* Bordeaux. — Eidem Collegio adnexa est Schola Apostolica ex urbe *Vitoria* (Hispania) in Galliam revecta.

Burdigalensis Domus pro Hispanis, hactenus Residentiae adnexa, ab anno 1927 sui iuris facta est et proprium habet Superiorem. — *El Solar Español, Rue Dubordieu, 124,* Bordeaux.

Nemausensis Residentia (Nîmes) anno 1930 suspensa est.

Tolosana Residentia anno 1930 in pristinas nostras aedes redire potuit. — *Rue des Fleurs, 22,* Toulouse.

In Viceprovincia Madurensi: anno 1926 Collegium Palamcottense, quod hactenus a Superiore totius districtus regebatur, proprium Rectorem recepit et sui iuris factum est. — Item, in eadem Viceprovincia, in loco *Kodaikanal,* anno 1929 inchoata est Domus tertiae probationis (*St. Mary's Mount,* Kodaikanal); sed anno 1930 ad *Shembaganur* transfertur, prope Collegium Nostrorum iam diu ibi exsistens.

In Missione Tananarivensi (*Madagascar*): anno 1928 inchoata est Domus probationis praesertim pro indigenis, Collegio Tananarivensi adnexa. — Residentia in urbe Sancti Dionysii in insula *La Réunion* sita anno 1929 suspensa est.

PROV. VENETA:

Redonensis Domus Exercitiorum, Residentiae Bergomensi adnexa, anno 1929 inchoata est ipso S. P. Ignatii die festo et S. Francisco Xaverio dicata. — *Villa S. Francesco Saverio,* Redona (Bergamo).

Tridentina Domus Exercitiorum item aperta est anno 1929.

In Missione Albaniensi: anno 1927 nova Statio aperta est *Tiranae*, in urbe Albaniae principe.

In Missione Calicutensi in Indiis Orientalibus: anno 1928 Seminario Episcopali Mangalorensi nova eaque perampla ala adiecta est, in qua iuniores alumni degunt, atque ita Seminarium deinceps multo maiorem alumnorum numerum recipere potest.

INDICES

VOLUMINIS III "MEMORABILIUM,,

(IAN. 1927 - DEC. 1930)

DEFUNCTORUM
INDEX ALPHABETICUS

A DIE 1 OCT. 1926 AD DIEM 30 SEPT. 1929

Nota. — " Numeri uncis inclusi marginales sunt; reliqui referunt paginas

RERUM
INDEX ALPHABETICUS

TABULA RERUM

MEMORABILIA ANNI 1927

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

MEMORABILIA ANNI 1928

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

MEMORABILIA ANNI 1928

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

MEMORABILIA ANNI 1930

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

QUAEDAM CORRIGENDA

IN VOLUMINE III « MEMORABILIUM SOCIET. IESU »

pag.	10	lin.	21	*pro* emum	*lege*	demum
»	10	»	35	*pro* Sanctas	»	Sancta
»	93	»	20	nactus		*omittatur*
»	103	»	35	*pro* Rom.	»	Marian.
»	175	»	15	*pro* Comillae	»	Comillis
»	158	»	25	*pro* Guarda	»	Guardia
»	183	»	25	*pro* vim	»	vis
»	207	»	10	*pro* ab.	»	ad
»	211	»	28	*pro* quo	»	qua
»	213	»	8	*pro* vocationum . . .	»	vacationum
»	243	»	22	*pro* quasi.	»	quas
»	250	»	19	*pro* parens	»	parcens
»	262	»	25	*pro* 1918	»	1908
»	281	marg.		*pro* 1928	»	1929
»	282	lin.	12	*pro* adeam	»	adibo
»	306	»	19	*pro* Santa Fe	»	Cordoba
»	310	»	17	*pro* P. Henricus . . .	»	C. Henricus
»	311	»	19	*pro* Nova Friburgo . .	»	Rio de Janeiro
»	370	»	4	*pro* Vallarares . . .	»	Valladares
»	370	»	9	*pro* Valladores . . .	»	Valladares
»	378	»	21	*pro* Janssens (e Coll. Lovan	»	Jansen (e Coll. Eegenhoven)
»	399	»	10	*pro* ab.	»	ad
»	399	»	15	*pro* Ciárriz	»	Ciáurriz
»	405	»	36	*pro* Ital.	»	Hispan.
»	413	»	25	*pro* Vanghan	»	Vaughan
»	418	»	37	*pro* opperientes . . .	»	operientes
»	426	»	8	*pro* quos	»	quas
»	433	»	31	*pro* Antenaza	»	Antezana
»	434	»	31	*pro* 1842	»	1882
»	443	»	23	*pro* 12 iul. 1867, ing. 14 oct.	»	19 nov. 1863, ing. 7 oct.
»	53	»	21	*pro* varias	»	variae
»	536	»	5	*pro* Tamariz	»	Tamariz
»	618	»	37	*pro* Poonensi	»	Bombayensi
»	624	»	23	*pro* Prov. Franc. . . .	»	Prov. Camp.
»	713	»	17	*pro* S. Hernardus Pieschacón	»	P. Alois Boncompain